


ut per Bal. in d.l. ſi quis in tantam. col. ad ſe ſ
c caſu is non reſtituatur ad poſſeſſio ult. op
ſtituitur ad ſtatum, in quo erat, ut ib 97 XX



ROMVALDINA,

SEV EREMITICA MONTIS CORONAE CAMALDVLENSIS ORDINIS HISTORIA

In quinque Libros partita.

AVCTORE Luca Eremita Hispano.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



In Eremo Ruhensi, In agro Patauino. MDLXXXVII.

Eremitarum Camaldulsn Montis Argentari



LVCÆ RÆSII DALMATAE

Carmen.

QVi mores, normã simul, & primordia sacræ
Vult ROMVLDINAE noscere militiæ:
Quis docuit primò syluestrem ducere vitam,
Qua datur ad superos aptiùs ire Deos:
Ille legat CATHALANI nũc monimẽta diserti,
ROMVLDINAM, qui contulit Hystoriam.
Hũc genuit Barcino, Mõs tenet ecce Coronæ,
Vnde coronatus tendit ad astra poli.
Cui decus, & nomen, laudemq; parare licebit,
Extinctum, & superis adnumerare suis.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. ANTONIO CARDINALI CARRAFAE Domino suo colendiss.

Eremi Montis Argentini

LVCAS EREMITA S.



Ræclara tua, eaq́; plurima in Religionem nostram, Cardinalis amplissime, beneficia quoties in mentem veniunt (veniunt autem sæpissimè) gratitudinem iamdudum animo reconditam diutiùs sepultam latere non

sinunt: sed eam, iusta occasione data, orbi facere testatam, me nõ sine ratione compellunt. Quod quidem conuenientiùs adimpleri posse, quàm munusculo quodam literario, non satis video: hoc nãq; in æuum permanet, & quod in se gerit, vniuersis perpetuò mortalibus reddit manifestum. Quam obrem opus quod olim rudiuscule informatum, solita benignitate hac tua, non solùm oculis diligenter lustrare: sed etiam affectione quadam amplecti, meq́ deinde blandè hortari, quò ipsum ad iustam plenitudinis mẽsuram perducere conarer, dignatus es; utcumque absolutum ad te denuò mittere decreuimus. Romualdi-

nam

nam, inquam, nostram dignationi tuæ iampridem cognitam, ac familiarem: quæ tamen (quod me malè habet) non eo apparatu verborum, seu elegantiæ cultu coràm te stabit: quem consummata doctrina, vel sermonis eloquentia, quibus tu polles, desiderare videntur. Sed quæ admiratio est, si genitor inopia pressus virginem suam, quantumuis ei chara existat, nec sericis vestibus induat, nec gemmis adornet? Vnde, quæso, pauperrimo solitario viro, in deserta Eremo iam annis viginti, aut eò amplius, commoranti verborum copia, dicendi facundia, aut rhetorici colores, quibus rudem materiam excolat, suppe-

ditari queunt? Non etenim hìc modulatur Virgiliana Musa, nec resonant lyrici vates: non hìc reboat Ciceronis oratio, nec argutè ratiocinatur Peripateticus Stagyrita: in quorum vicem successerunt scriptura sacra; vulgaris locutio, Sanctorum vitæ, simplicißimus sermo: libellus præcũ acquisiti styli dißipatio. Hìc denique linguarum nulla peritia viget, nec aliqua loquendi exercitatio permittitur: sed ècontrà perpetuum silentium, planctus, & iugis oratio: necnon diuinarũ laudum cõtinua decantatio, omne studiorum tempus absumunt. Quid ergo mirum, si indigo parente genita, inq; pauperrima do-

mo

mo nata alumna nostra, casta nihilominus, ac munda intùs, vili amictu induta, parumque exculta foris appareat? Veruntamē apud te, colendissime Domine, quem diuitem esse non ignorat, abundè locupletari, pretiosisque monilibus ornari, magna fiducia sperat. Neque hìc certè diuitias appello corruptibilia argentum, & aurū, neque honores, vel etiam istam supremam (quam iustè possides) dignitatem: sed præclaras virtutes, scientiam, prudentiam, Christianam pietatem, cæterasque penè diuinas animi tui dotes. Vnde proculdubio fiet, vt tui clarissimi nominis splendore refulgens historia omnibus pulchra videri,

 atque

atque placere incipiat: sic tuis suffultus auspicijs libellus, detractorum voces minimè pertimescat. Quis enim eum tuæ præcelsæ auctoritatis clypeo munitum attingere præsumet? vel sinistro oculo intueri audebit? Suscipe igitur humanißime Præsul, munusculum hoc, quod dignitati tuæ libenter dicamus: & sub vmbra alarum tuarum Romualdinam protege tuam, atque brachio propriæ magnitudinis defende. Quod vtiq; te esse facturum nullum me dubium tenet, cùm nõ semel expertus sim, quanta erga Societatem nostram (cuius ipsa typum gerit) affectione, ac sollicitudine vti semper consueueris.

Nec

Nec me latet eidem te vbiq; fauere, & quoties opus est, præstò adesse: memor enim sũ, qua animi pietate, ac beneuolentia Patres nostros, meq; præcipuè, licèt indignum, in Patriam tuam: in amplißimum, inquam, Neapoli Regnum olim (præparato priùs idoneo solitudinis loco) vi quadã sanctißima pertraxisti. Neque hoc contentus, eadem ferè cura, diligentiaq; effecisti, vt Romæ Ecclesia cum opportuno hospitio Congregationi huic, multo labore obtenta, in perpetuum vniretur. Ecquis denique Romualdinis Eremitis unquàm propensior extitit? aut quis pleniori fauore Coronẽsem Eremum prosecutus re-

peritur?

peritur? vel pluribus gratijs, indulgentijsuè Apoſtolicis Religionem hanc decorauit? Quæ tandē ego minimus ſeruorum tuorum à te acceperim beneficia, quantaq́; ſemper mecum egeris familiaritate, ne moleſtus fieri incipiam, ex induſtria reticebo: pro viribus autem enitar, ne aliquando animo excidat tuorum erga me meritorum cum ſingulari pietate recordatio. Vale Cardinalis Illuſtriſsime Eccleſiæ ſanctæ decus, & ſocietatem noſtram ſemper commendatam habeto, meq́; ſolita clementia diligere ne dedigneris. Ex ſacra Ruhenſi Eremo: die ſecunda Martij, M D LXXXVII.

INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS.



LIBRI PRIMI.



LIBRI

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

LIBRI

LIBRI QVINTI.



INDEX RERVM MEMORABILIVM,

Quæ in hoc opere continentur.



Camal-

Eremus

FINIS.

AD

AD PATRES
DIFFINITORES
CAPITVLI GENERALIS
MONTISCORONÆ,

In Romualdinam Historiam

LVCAE EREMITAE
PRÆFATIO.



VM nullus Religiosorum hominum temporibus nostris genere vitæ austerior, vel (quod omniũ pace dixerim) professione excelsior ordo, intrà Ecclesiæ Sanctæ fines inueniatur: quàm paruula pariter, atq; pauperrima hæc Eremitarũ sancti Romualdi societas ordinis Camaldulensis; in cuius caput Eremus MONTISCORONAE consecrata est: satis mirari nequeo, colendissimi Patres, quorundam temerita-

tem, corruptumvè iudicium, qui de re sibi incognita agentes: eandem quibusdam friuolis rationibus superstitiosam, parumque (vt ipsi aiunt) Apostolicam, perfricata fronte, improbare nituntur. Cõfingunt siquidem institutum hoc nuper inuentum, ac paucissimis conuenire, eoque singularitatis habere plurimum, nihilq; proximum iuuare; necnon propriæ æstimationis, ac simulatæ sanctitatis esse fomentum. Rursus nullam inde fideli populo emanare doctrinam: nullã pauperibus subuentionem: nullam tandem tribulatis, siue oppressis consolationem accedere affirmant. Addunt insuper in hoc genere vitę ociosos fieri homines, phantasticos, melancholicos, laboris impatientes, & quasi syluestres onagros humani consortij osores: atq; adeò contra humanitatis iura, naturalemque æquitatem, solos solis ac sibi ipsis viuentes infrugiferam ducere vitam. Porrò istorum vulgarem errorem ex rerum nostrarum ignoratione nasci, incõfesso est: ignorant namque solitaria vita quos habuit olim auctores; nec sciunt

primitiuæ, nascentiq́ue Ecclesiæ Anachoretica religio quantum dederit incrementum. Nō legerunt magnū quondam Basilium, diuum Hieronymum, doctissimum Augustinum, sanctissimum Benedictum in montibus & syluis primas condidisse suorum Monachorum cellulas. In summa, instaurator Eremiticæ conuersationis Romualdus vbi, aut quo nam modo vixerit, ne somniarunt quidem. Hinc proculdubio fit, vt quicquid vulgò commixtum non est, insyncerum putent: fugientes turbas, ac seculi nugas, stultos: quietem animi quęrentes, infrugiferos, cerebrososq́ue appellent. O deploranda nostri æui cecitas, quæ recto non sinit homines vti iudicio. Vna, scilicèt, est via salutis? vna iustitiæ semita? vno tantùm Deo seruitur modo? Nunquid apud Deum Eremi cultores inferiores vnquàm habiti sunt habitatoribus vrbium: nunquid sanctior Helia Esaias, aut Hieremias Heliseo? an Dauid maior Ioanne Baptista? In quo cedit Augustino Hieronymus; aut Antonius Nicholao? In quo denique vincit

Hilario-

Hilarionem Gregorius? Iam si Martyres tollas, nec plures nec meliores dederunt Sanctos Italiæ vrbes, quàm Aegypti deserta: nec Græciæ ciuitates, quàm Thæbaidis, vel Palęstinæ solitudines. Numera, si potes, agmina discipulorum Antonij magni: aut catalogo conclude, si nosti, numerum Sanctorum Anachoretarum in orientis olim nemoribus degentium. Postremò nonne Saluator noster IESVS, maioris perfectionis exemplum sequentibus se relinquere volens, sæpiùs in montem siue desertum secessit? Ecquis tandem tàm hebes, qui nesciat contẽplationi deditos viros, actioni vacantibus longè præstare: & Mariã, quæ optimam partem elegit, Marthæ esse præponendam? Sanè si legissent isti illud: Multùm valet oratio iusti assidua, solitarios viros orationi intentos, lingua non ita læsissent. Si legissent pugnãte populo contra Amalech, plùs profuisse ad victoriam Moysem in vertice collis orantem, quàm vniuersum populum acerrimè in campestribus dimicantem; solitudinis leges haud quaquàm damnas-

damnaſſent. Cùm leuaret manus Moyſes (inquit ſcriptura) vincebat Iſrael: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Quin & ſponſa Chriſti Eccleſia circundata varietate, ac multiplici virtutum gratia ornata incedere, gaudet: ideoq́ue vnuſquiſque donum ſuum habet à Deo. Ipſe dedit quoſdam, ait Paulus, Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad cōſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Et, vt Hieronymus ad Paulinum ſcribit, ridiculum eſſet dicere: omnes Apoſtolum Paulum in prędicationis officio ſequi oportere: rurſumq́ue omnes Magdalenam in contemplatione imitari. Habet etenim vnumquodque propoſitum Principes ſuos, quos imitemur, atque ſequamur. Epiſcopi, & presbyteri, quibus cura populorum incumbit, habeant in exemplũ Apoſtolos, & Apoſtolicos viros: quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum. Sic Minores imitentur Franciſcum: ſic

Prædicatores Dominicum. Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, atque Macharios. Sint Principes nostri Helias, & Heliseus: nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis. Addam, quòd Ecclesia sancta non ideò iudicauit infrugiferos, aut superstitiosos Eremicolas: quia pauperum domos non visitabant, seu hospitalia, carceres, & alia pia loca non frequentabant: quin potiùs contemplationis excellentiam contemplata, eosdem diuino dictante spiritu in Sanctorum numero lubens retulit: atque eorum memoriam summo cum honore excolit. Tantorum ergo ducum cur dedignabimur ipsi calcare vestigia? Animaduerti præthereà nos à plerisque, veluti acephalos, abortiuosque fœtus reputari: &, quod grauius est, à quibusdã manifestis mendacijs turpiter calumniari. Age iam, quòd diligentissimis alioquin auctoribus adhuc incognita manet Congregatio nostra: quidam

einm,

enim, qui nuper de origine omnium Religionum libellum dedit, noſtræ ſocietatis ne meminit quidem. Econtrà alius, qui etiam inſtituti Camaldulenſis laudator exiſtit, nos Petri Quirini diſcipulos facit. Ac tandem Paulum Iuſtinianũ parentem, progenitoremque noſtrum, ſocietatis, videlicet, huius conditorẽ, quotuſquiſque eſt qui norit? Hæc itaq; pijſſimi Patres, me compulerunt: vt nulla habita imperitiæ meæ ratione, ſolo Religionis zelo actus, incredibiliq; modo accenſus: quò eandem à tanto opprobrio vindicarem, à prima ipſius Ere miticæ vitæ inſtitutione, ad noſtrã vſq; ætatem; rerum, temporumque ſeruato ordine, breuem quidem, ſed fidelem perpetuo ſtylo, hiſtoriam cõtexere tentarem. Nec certè in caſſum ceſſit conatus noſter: perduximus enim ad optatũ finem libellum: qui licèt puſillus, ſatis plenam nihilominùs dabit rei propoſitę cognitionem. Nimirum quæcunque hactenus ſparſa, abolita, obliuioniq; tradita, præ difficultate deſiderantem animum explere nequibant, in ſe pagina

noſtra ritè complectitur. Opus vtique præ rerum varietate, & præteritorum incertitudine, non minimi laboris: nullo maximè extante præuio documento. Quamobrem negotium hoc vigiliarum, atque ſudoris plenum fuiſſe, ſatis legenti patebit. Etenim quemadmodum ſedula apis ex multis hinc inde collectis, decerptisq́ue floſculis ſuum conſtruere, ac melle ſtipare fauum conſueuit: ita & nos ex his, quæ legimus, auribusq́ue noſtris audiuimus, Patresq́ue noſtri, qui ab initio in ſocietate noſtra conuerſati ſunt, narrauerunt nobis: hoc, licèt parum mellifluum, opus confecimus. Deſcripſimus ſiquidem miranda ſanctorum Patrum noſtrorum opera; quæ quaſi ſpicas de manu meſſorum in agro delapſas colligentes, in perfectum manipulum coaceruantes, colligauimus. Cęterùm nullum hìc nouum inuentum, totum aliunde deſumptum, totum ab alijs collatum putà: nil noſtrum reperitur. Sola induſtria, ſi qua eſt, ſolus labor, qui nimius eſt, nobis aſcribi legitimè poteſt. Hunc ergo noſtrum laborem, hunc lucubra-

cubra-

cubrationum noſtrarum ſudorem Paternitatibus veſtris legendum, iudicandumq́ue tradimus : in cuius munuſculi præmium, ſiue mercedem, hoc vnum ſummis precibus, humiliterq́ue petimus : vt opere ſumma cura recognito, quicquid errati, aut ſanæ doctrinæ (quod abſit) aduerſans fuerit : emendare, corrigere, delere : ſeu, ſi ita viſum fuerit, concremare curetis. Satis enim ſcio, per vos quibus & literarum ſumma peritia eſt, & in quibus omnis ſanctitatis mores effulgent, ardetq́ue ſummæ iuſtitiæ zelus : nihil fieri poſſe, nihil decerni, quod iuſtum æquumq́ue non ſit æſtimandum. Ac mihi quidem optabilius multò eſt, quæ temerè forſan pertractata videbuntur, per peritiſſimos, immò emeritos eiuſdem militiæ milites, & anteſignanos iudicari, quàm à prophanis, inexpertisq́ue ſciolis vel ſolis oculis intueri. Scimus inſuper meliùs eſſe à iuſtis viris (quales vos eſtis) corripi, quàm oleo peſtifero peccatorum adulatorum perungi. Suſcipite tandem dilecti filij veſtri vobis iure

pleno debitum munus; quibus annuentibus elaboratum, & permittentibus editum extat: in quo si balbutiem nostram vel doctas mentes, vel religiosas aures vestras offendisse contigerit: æqui, boniq́ue consulite: & me solita charitate diligere non dedignemini.



ROMVALDINÆ, SEV

EREMITICÆ MONTISCORONAE *CAMALDVLENSIS* ORDINIS HISTORIÆ.

Liber Primus.

EREMITICI INSTITVTI Origo, & Auctores. Cap. I.



VEMADMODVM qui florẽtis alicuius, beneq́; compoſitæ Reipublicæ tranquillum, atque fœlicem ſtatum animaduertunt, ſolent cauſas tantæ proſperitatis diligenter percontari, antiqua ne ſit ciuitas, quis conditor vrbis; cuius, quorumve legibus vta-

tur curiosiùs inuestigantes, vt his compendio instructi, à qua radice tàm dulces proueniant fructus, à quo item fonte tã salutaris profluat aqua, faciliùs agnoscant. Porrò non aliter desiderantibus veram, perfectamque Religionis nostræ cognitionem habere, originem eius, quibus etiam authoribus initium habuit: cuius Regulam, quorumve instituta sequatur, innotescere oportet: ne ignorato penitùs principio, rei optatæ finis, ad quem studiosi cuiusque animus iugiter contendit, minus percipi possit. Quamobrem nouellæ Congregationis MONTISCORONAE erectam obediẽtiæ fortissimam turrim, stabilitam atq; munitam Eremiticæ obseruantiæ, inexpugnabilem arcem demonstrare volentes: opere pretium existimauimus fore, si antiquissimos simul, ac profundissimos marmorei vigoris lapides (quibus totius machinæ pondus innititur) ostendamus reuelatos, ita vt quicquid ædificij restat intueri cupientibus, seu volentibus introire, sese offerat patefactum.

 EREMI-

Eremiticae igitur conuerſationis, (quam & Anachoreticam vocant) Principes, atque auctores, magnum Dei miniſtrum, ac fideliſſimum ſeruum Heliam Tesbitem, eiusq́ue diſcipulum Heliſeum (ſcriptura teſtante) nouimus extitiſſe. Ioannes quoq; Baptiſta in vtero matris ſanctificatus, ſpiritu Heliæ in omnibus ambulans, in Eremo, pilis camelorum indutus, locuſtisq́ue victitans, tota permanſit ætate. Nec certè dedignatus eſt Ieſus Redemptor noſter crebro ſeceſſu deſertum conſecrare, miraculis multis ſolitudinem ſanctificare non deſijt. Nam in deſerto Sathanā proſtrauit, in monte paucis panibus turbas, ac doctrina diſcipulos non ſemel ſatiauit. Præterea multos fuiſſe in veteri teſtamento (quorum non meminit ſcriptura) qui vel periculoſa hominum commertia fugientes, vel cum Iſaac in omni quiete meditari in agro deſiderantes, ſecretiora deſerti petiere, ibidem in magna auſteritate viuentes. De talibus ſiquidem exclamat Apoſtolus dicens: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angu-

ſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terræ. At poſt Chriſti aduentum, illa perfectionis Apoſtolorum ſchola omnia ad ſe traxit: qua manente, non ampliùs diuerſa viuendi genera quærebant pij homines, ſed (vt Lucas enarrat) omniũ credentium erat cor vnũ, & anima vna: nec quiſquam, eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Verùm labentibus annis, apoſtoliſq; decedentibus, necnõ multitudine fidelium in immenſum creſcente, cępit iuxta Domini verbum frigeſcere charitas, hincq; ſua ſinguli quęrẽtes, animarum vnitatem, bonorumq; communitatem paulatim deſeruerunt. Ac paulopoſt cępit abundare iniquitas, inſurrexitq; rabies pluſquàm ferina Tyrannorum (Decio maximè, & Valeriano Imperatoribus) à Chriſtianorum cęde nullibi abſtinens. Hac itaq; furente in Chriſti fideles perſecutione, multi apud Aegyptum, Thebaidam, & Palęſtinam martyres ſancti per varia ſuppli

cia vsq; ad mortem in fide perstiterunt, coronas perpetuas, & immortalia præmia adepti. Attamen fuerunt alij, qui vel ista pertimentes, vel aperto certamine, ac manifesto conflictu dęmonibus congredi cupientes, vastos Eremi recessus penetrare nō timuerunt. Inter quos, non solùm tempore, verùm etiam vitæ integritate primus fuit Paulus ille Thebęus, primus Eremita cognomento dictus, qui per annos nonagintatres in profundissima Eremo perseueranter vixit, cui per idem tempus spelunca domicilium, fons limpidissimus potum, palmà verò cibum & vestimentum prębuerunt. Huic coætaneus fuit Antonius natione Aegyptius, athleta sanè incomparabilis in hac palestra, miles veteranus, antéque signanus strenuus. Quem omnia dæmonum territamenta, diabolicæ visiones, frequentissima verbera, ac durissima flagella à sancto proposito nequaquam amouere potuerunt. Tantorum ergo ducum postmodum exempla secuti sunt Macharij duo, sacratissimi silētij maximi assertores. Item Amathas,

&Palemon, Beatus Ephrȩm, & humilitatis exemplar Hilarion. His adde Pachomium, Teonem, Arſenium, cum infinita ſolitariorum multitudine. Atque adeo circa annũ à Chriſto nato cccxxx. & ſupra, intantum huiuſmodi Religio, Domino fauente, accreuit (temporibus ſcilicet Conſtantini, & Conſtantij Imperatorum) vt non ſolùm Aegypti deſerta fuſiſſima, & Thebaidis latiſſimas ſolitudines, verùm etiam Palęſtinæ circa Iordanem, nemora ſanctorum virorum frequentia ſtiparet. Iſti ſunt denique, qui omni labore ſolitudinis quietem appetentes, gaudium propriæ ſalutis, ac fidei, diuino munere ſunt aſſecuti, cęteriſque mox exempla ſublimioris vitæ, ſacratioriſq; præbuerũt. Omnibus enim terrenis exuti negotijs, adhuc morantes in corpore, Angelorum imitati ſunt ſanctitatem: per quam aſcendentes faſtigia celſa virtutum, vltra admirationem enituere mortalium. Ita vt in nullo prorſus antiquiſſimis (quos ex veteri teſtamẽto commemorauimus) Patribus, inferiores extiterint: quin & cum Sanctis

Marty-

Martyribus, qui ꝑ Christi nomine mortem sustinuerunt, laboribus & meritis veniunt comparandi. Cur enim nõ eis æquiparentur, qui inuisibilium hostium occulta molimina, & infernalium furiarum versutas insidias ad nihilum redegerunt? qui inimicorum ignita tela sine intermissione, inuictaque constantia retuderũt? O' beati milites, quibus (vt Paulus ait) non erat iam colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, contra mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. De talibus exclamat eorum commilito Hieronymus dicens: Vidi, & verè vidi, thesaurum Iesu Christi in humanis absconditum vasculis. Viderat enim eorum multos in terra positos, in humili, arctoq; tugurio cœlestem vitam agentes, multos vaticinandi spiritu, multos prodigiorum signis pręclaros. Quì etsi rudi villosaque veste, vel sacco cilicino contecti, ac dispersi in separatis cellulis, silentes in summa quiete permanerent, eosdem tamen vinculo charitatis orna-

tos, vnitosque animo, atque constrictos diuinus amor habebat. Breuis somnus, lõga oratio, meditatio mortis, prolixa psalmodia apud illos noctem consumabat: quicquid verò temporis supererat, manuali operi dabatur. Nullus quippe illic panem esse otiosus sinebatur. Vnde præter se ipsos, suis laboribus multos alebant pauperes. Veri profectò Euangelicæ doctrinę æmulatores, in nullo solliciti de crastino, non præmeditantes quid manducarent, aut biberent, neque quid induerentur, memores scripturę dicentis: Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Hinc est proculdubio, quòd apud Hieronymum, & alios sanctos auctores, multos eorum legimus, qui in corporali necessitate cõstituti, incomprehensibili modo diuina manu refecti sunt. Fuerunt ex illis, qui (oratione fusa) Nili reprimebant inundationes: alij profunda fluminis sicco transibãt pede: Propheticum spiritum, gratiam curationum, dæmones eijciendi potestatem innumeri à Deo acceperunt. Quid ni (quęso) acciperent, qui

nihil

nihil terrenum,nihil carnale, iam ſapiẽtes,ſoli Deo ſuo,Angelorum more adhęrebãt? Quanta fuerit in eis cordis ſimplicitas, quanta in laboribus tollerantia, quanta in aduerſis patientia, quàm mundi ab omni malitiæ cogitatione, quàm ab omni criminis ſuſpicione alieni extiterint, ſatis plenè Sanctorum ſcripta teſtantur. Hæc denique erat generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob: hæc gens ſancta, genus electum, regale ſacerdotium. Hoc certè valdè mirandum eſt, quòd tãta cura, vigilantiaque maiorum ſuorum traditiones obſeruabãt (Caſſiano teſte) vt nulla inter eos in tãta hominum multitudine, ingeniorumque varietate, viuendi diuerſitas, aut morum diſcrepantia facilè inueniri potuerit: ſed omnes vnanimiter præſcripta ſequi, ſtudiosè ſeniorum mandata adimplere, pacem ſeruare, & cuſtodire vnitatem. At qui eorum mores, ac ritus plenè cognoſcere cupit, apud eundem Caſſianum, inq; vitis Patrum aſſiduè legat. Certa autem Anachoritis illis, aut præſcripta viuẽdi

regula non fuit, ſed ſolis ſeniorum exem plis ac monitis edocti, pluſquàm regulariter viuebant, certantes inuicem quis officio charitatis, abſtinentiæ, paupertatis, nuditatis, atque orandi virtutibus præſtantior fieret. Nam regulam, quæ ſancto viro Pachomio ab Angelo de cęlo allata dicitur, vix à paucis obſeruatam fuiſſe legimus.

PRIMA igitur Regula Monaſticæ conuerſationis, illius fuit, cui omnis laus exigua videtur, illius inquam, qui non minus ſolitariæ pœnitẽtiæ ſagum, quàm Epiſcopales infulas decorauit: Baſilius ſcilicet, cognomento Magnus, is quidẽ Regulam ſcriptam dedit, quæ cùm pro tanti auctoris reuerentia, tùm pro ſermonis, vtilitatis, ac ſanctitatis excellentia, ab omnibus, qui in Oriente fuerant, Monachis approbata, & ſine cõtrouerſia admiſſa eſt. Etenim tantæ æſtimationis hæc Baſilij doctrina extitit apud ſanctiſſimos illos Eremitas, vt multis eorũ Religio foret, aliud pręter vtriuſq; teſtamenti codicem, ſacrãq; diui Baſilij Regulam non legere. Cùm igitur nulla

Mona-

Monachorum congregatio in partibus illis inuenta ſit, quæ Baſilianis nõ adhæſerit inſtitutis, ideo Baſilius omnium Orientalium Monachorũ Pater meritò eſt appellatus. Floruit autem Baſilius eadem ætate qua Antonius, ſed annos ferè triginta Baſilius Antonio ſuperuixit. Obijt verò cccxxx. anno ab Orbe redempto. Iſtis tandem & ſimilibus documentis Eremitica gens fundata, atq; inſtructa, in ſanctitate morum, ac vitæ integritate, in Dei ſeruitio cũ omni humilitate, obedientia, charitateque ſtabilita per tempora multa perſeuerauit. Iam defuncto Baſilio, ſtatim ſurrexit eximius ille Spiritus sãcti interpres Beatus Hieronymus, qui priùs in Scythiæ deſerta (Roma relicta) confugiens, ìbi Anachoreta factus, multas (vt ipſe ad Euſtochium ſcribens refert) tẽtationes paſſus, grauiſſimam pœnitentiam egit. Rurſus (vitijs excoctis) Romam reuerſus, corruptos Cleri mores ferre non valens, iterum inde egreſſus in Palæſtinam nauigauit, & in nemore Iudęæ haud longe à Betlehem, conſtructo Monaſterio,

cum

cũ pluribus diſcipulis ſibi ob Dei amorem adhærentibus, quietam atque fœlicem ad mortem vſque tranſegit vitam. Cuius inſtituti obſeruatio vſque in hodiernum diem manet, maximè in Hiſpaniæ regnis, vbi multa, & inclyta ſunt Hieronymorum (ſic enim vocantur) Cœnobia. Inter quos propter eorum vitæ ſanctimoniam, Carolo Quinto Imperatori, Imperio relicto, & priuatim viuere, & mori placuit. Mox deinde Hieronymum imitatus eſt Aurelius Auguſtinus, qui in alto Africæ monte prope Hipponam ciuitatem, Eremitarum cuneos inſtruxit, quod innumeris ſermonibus ad fratres de Monte ipſe manifeſtat. Quæ quidem Religio nomine ſaltem Eremitarum ſancti Auguſtini latiſſimè patet: inſtituit & Canonicos Regulares, de quibus hìc minimè diſputamus. Superuixit autem Hieronymo Auguſtinus annis ferè octo, vt pote, q obijt anno CCCCXXX. ille verò CCCCXXII. à Chriſto nato. Iſta ſunt tandem prima, ac vera Monachalis ſtatus initia, atque Eremiticæ vitæ fundamenta, de quibus

hæc

hæc dixiſſe ſufficiat, & ad ea, quæ inſtant, tranſeamus.

SANCTI BENEDICTI VITA, & Monachorum Caſſinenſium Inſtitutio. Cap. II.

DEMONSTRATIS igitur cōpendio breui, quæ ad Orientalem plagam ſpectant, ordo Hiſtoriæ poſtulat, vt ad Occidentem ſtilum vertamus: nimirū & Solis curſum Deus Optimus Maximus in Lege, Fideque ſua amplificanda, ſeu dilatanda, iam ab initio ſeculorum obſeruaſſe noſcitur. Quo quaſi naturali ordine religio Monachalis in Oriente exorta, curſu temporis in occiduas regiones tranſlata concreuit, ramoſque ſuos mirum in modum extendit. Quod idem Deus miſericordia motus, maxima prouidētia efficere curauit, vt nuſquam piè viuendi opportunitas fidelibus ſuis deeſſet, ac pijſſimi patris effectum nobis vbique oſtenderet. Porrò incomprehenſibilis eſt Dei benignitas, & deploranda toto fonte lachrimarum

rum mortalium ingratitudo, ac cęcitas. Quotidie mittit Clementissimus Pater nouos Prophetas, qui moneant fugere à ventura ira: nouos Doctores, qui doceāt quæ facturi sumus: nouos duces, qui nos doctrina & exemplis per vias rectas deducant. At nos insensati ad eorum voces obstrepimus, ad eorū clamores obturamus aures, eorum denique exempla contemnimus, ac sanctissima opera deridemus. Demum quid facere potuit vineæ suæ bonus agricola, quod non fecerit? de qua tamē cùm expectaret vuas, accepit labruscas. Ecce vix vna cum dimidia præterierat ætas post Magni Basilij mortem, & alterum Basilium suscitauit mundo: ecce calefacto satis Orientali solo, naturali cursu Solem mittit in Occidentem, qui luceat, ardeat, ac gelida pectora accendat. Sol equidem fuit fulgentissimus, iubarq; cœleste Sanctissimus Benedictus, splendore gratiæ, virtutū lumine, ac spirituali benedictione illustratus. Hunc nobis olim vrbs vetustissima Sabinorum inclita Nursia fœliciter dedit. Quæ cùm frigida sit, feruen-

tem animo, alta humilem, aſpera blandum, rudis ſapientẽ nobis miſit alumnũ. Cuius vitam Beatus Gregorius ſecundo Dialogorum libro non minus eleganti, quàm luculento ſermone deſcribit: de cuius pleniſſimo promptuario ea tantũ, quæ ad noſtrum conuiuium pręparandũ neceſſaria videbuntur, depromere curabimus. Sanctiſſimus ergo Pater Benedictus adoleſcentiæ ſuæ tempore, relictis literarijs ſtudijs, quibus Romæ operam dabat, magis Deo placere, quàm mundi huius vanitatibus inſeruire cupiens, in Monte (qui Sublacus dicitur) quadraginta ferè paſſuum millibus ab vrbe diſtans, ſeceſſit: Ibiq; in arctiſſimo ſpecu abſconditus, nullis hominibus (excepto Romano Monacho, à quo certis diebus panes accipiebat) cognitus, per triennium manſit. Mox verò cùm placuiſſet Altiſſimo eum ad opus maioris miniſterij vocare, à paſtoribus in eadem ſpecu latitante reperto, eius nomen ac ſanctitatis fama per vicina loca diuulgari cępit, & ab hominibus deuotionis gratia frequentari, quem iam exinde multi re-

lícto

licto mundo quasi discipuli sequi cœperunt. Postmodùm, cognita cunctis eius eximia sanctitate, à magna quadam Monachorum Congregatione in Abbatem eligitur, quod vix multis precibus, nec sine difficultate obtinuere electores. Recusabat namque vir pius impios eorum mores corrigendos suscipere, Spiritu præuidens in cassum ituros labores suos. Suscepta itaque administratione, ab iniquis Monachis multa passus est, quorum nequitia in necem Magistri machinari cęperat. Quamobrem (ne locus daretur Satanæ) inde pius Pater recessit, ad locumq́ue dilectæ solitudinis rediens, solus in superni Spectatoris oculis habitauit secum. Construxit postea in circumuicinis locis monasteria duodecim, atque in singulis eorum duodecim Monachos constituit, paucis admodum secum seorsum retentis, inter quos Placidum, & Maurum fuisse scimus. Nec tamen huiusmodi loci commoratio diuturna fuit, nec ibi animi quies absoluta. Tanto liuore Sacerdos quidam hominē Dei persecutus dicitur, vt eidem vene-

rabili viro, eo quòd non longe ab eo moraretur, deuotique omnes, eius Ecclesia derelicta, ad monasterium properarent, sæpe insidiatus perhibetur. Re autẽ perspecta, quo sibi & discipulis simul prouideret, ĩuidiæ locũ dedit, ibiq; substitutis præpositis, rebus cõpositis, fratribusq; relictis, ipse cum paucis ad montẽ Cassinũ se contulit. Vbi circa annũ DXXVIII. Casinense monasterium toto Orbe terrarum celebre construxit, quod postea totius Ordinis caput semper habitum fuit. Alia quoque monasteria non pauca fundasse compertum est, sed de singulis hìc pertractare superuacaneum putamus. Ex prædictis ergo apparet Benedictũ solitudinis fuisse impensè amatorem, cui ab infantia totum se tradidit, quamq; semel derelictam rursus repetijt, Monachos male moratos fugiẽs. Neque aliud fuisse monasteria ab ipso fundata existimandum est, quàm solitariorum bene composita domicilia, eòq; in montibus, & syluis, locis quieti congruentibus, eadem collocauit. Fuit autem vir nõ solùm remotæ solitudinis,

aut ſolius contemplationis amicus, verùm etiam omnium virtutum ſtudioſiſſimus, quibus miraculorum, ac diuinorum operum patrator exiſtens, quaſi cœleſte ſydus clareſcere meruit. Etenim demortuum puerum, & monachum ruina parietis confractum ſuſcitaſſe: ſigno crucis vaſum venenum continens confregiſſe non eſt ambiguum. Animas ad cœlos vidiſſe aſcendentes, futura prædixiſſe, dęmones effugaſſe, abſcondita atq; longè poſita ſpirituali oculo vidiſſe, eius hiſtoria docet. Quapropter apud Gregorium, poſt virtutum, ſignorumq́ue narrationem, miratur Petrus ille auditor, dicens: Mira ſunt, & multum ſtupenda quæ dicis. Nam in aqua extra petram producta, Moyſen: in ferro verò, quod ex profundo aquæ redijt, Eliſeum: in aquæ itinere, Petrũ: in corui obediẽtia, Eliã: in luctu autẽ mortis inimici, Dauid video: & perpendo, quia vir iſte ſpiritu iuſtorum omnium plenus fuit.

REGVLA, ET PROFECTVS Familiæ Benedictinæ. Cap. III.

BEATISSIMVS ergo Pater doctrina non mediocriter ornatus, ætate prouectus, forti & constanti certamine vitiorum, tentationumque victor gloriosus, diuturno insuper magisterio mores discipulorum callens, pleniùs intellexit non omnibus solitariam vitam competere. Quæ sanè & paupertate gaudet, & parcimonia alitur, atque rigiditate vestium, manuumq; labore confouetur: vigilias, & perpetuũ silentium affectans. Qua pijssima consideratione motus, communem potiùs multis normam piè viuendi dare, quàm paucis asperam viam salutis, tradere maluit. Ideoque monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam conscripsit. Est namque abundans pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis seuera, atq; bonis optima. Meritis itaq;

Sanctissimi Benedicti ab Oriente in Occidentem translata Religionis perfectio conspicitur : vnde Zacharias Papa in prædictæ Regulæ confirmatione, Benedictum omnium Occidentalium Monachorum Patrem iustissimè appellat. Cęterùm cùm pijs omnibus Regula Benedicti præstantior videretur, factum est, vt omnes qui sanctitatis viam ingredi statuissent, eandem sequerētur, eiusq; institutionem profiterentur. Cumq́ue post obitum Benedicti (obijt autem in Monte Casino anno DXLII.) eius beata familia in omni perfectione, ac sanctitate vitæ floreret, breui tempore in totam ferè Europā dilatata est: adeoq́; aucta, ac propagata, vt, si credi potest, non desit qui affirmet, Benedicti monasteria septem supra triginta millia numerum excessisse. Quod omninò mirū videri non debet, si hodie vel cohabitata, vel diruta, vel etiam alijs Religiosorū familijs attributa monasteriorum ædificia consideremus. Quanta verò pietatis, charitatisque perfectione, quanto deuotionis feruore, quanta doctrinæ

abundantia, prima illa huius sanctæ conuersationis ætas processerit, ex hoc plenè colligitur, quòd nisi Benedictinus esset, ad Apostolicam sedem, ad Cardinalitias dignitates, & ad Episcopales cathedras vix assumebatur. Atque, si historijs credimus, per aliquot secula vniuersalis Ecclesiæ ex hac quasi virtutũ schola delecti Pontifices clauum rexerunt. Vidimus siquidem paginam quandam ex annalibus Pontificum extractam, in qua adnumerantur Pontifices Romani xxIIII. Cardinales 2000. Archiepiscopi 7000. Episcopi verò 15000. Neque compertum habeo, ex eorum gubernatione Dei Ecclesiam in aliquo fuisse læsam, sed à multis abusionibus liberatam lego. Magnum quidẽ est quod diximus, sed quod sequitur, laudabilius censebitur. Tanto zelo in primitiuo huius ordinis statu regularia pręcepta obseruabantur, tanta æmulatione colebatur paupertas: ea simplicitatis, charitatisque inter monachos vigebant studia, vt in catalogo Sanctorũ ex eis quatuor supra tria millia canonizati reperiantur. Tali

vtiq; modo se habuisse, per quæ multos annos hac fœlicitate processisse castam Benedicti sobolē, apud probatos, piosq; auctores inuenire est. Veruntamē postq̃ labentibus annis, prima illa obseruantiæ norma, ac charitatis refriguit feruor; diuini cultus tenor, & obediētiæ ritus elanguit: inde orta regnare cępit libertas. Hęc est siquidem mortalium conditio, vt diù in eodem statu permanere non posit: quę humana infirmitas relaxationi huic facilè occasionem pręstitit. De isto profectò lachrymabili religionis statu iustisimè conquerebatur olim Poeta quidam, in hæc verba:

Omnibus occiderat superum reuerentia terris:
Et decus, & priscæ Relligionis amor.
Quin etiam ruptis errabat pauper habenis:
Sancte per anfractus, grex Benedicte tuus.
Rarus & incerta Monachus statione peragrans,
Non dabat Auctori debita vota suo.

Post hæc idem Auctor Benedictum intrò ducens, qui pro Religione sua iam iam peritura deprecetur, talia ad Deum direxisse verba, elegantisimè refert:

Maxime Rex, patent Cœlum cui terra, fretumque,
Omnia, qui nutu dasque, regisque tuo.
Aspicis, vt longo probitas malè frigeat æuo?

Aspi-

Aſpicis, vt toto ferueat orbe ſcelus?
Cernis, vt aduerſis agitetur fluctibus omnis
Relligio; & nullo milite fulta cadat?
Ille meus quondam teneris benè cultus ab annis,
Quò fugit antiquæ Relligionis honor?
Quemq́ue ego tàm lata moriens ditione reliqui,
Ordinis heu noſtri, dic mihi, feruor vbi?
Iam mea progenies tandem, niſi penitus illi
Proſpicis, è ſummo culmine pulſa cadit.

Quamobrem Sancta mater Eccleſia filiorum ſuorum ſollicita diù non neglexit iam penè labentem Religionem pijs ac iuſtiſſimis latis inſtitutis reformare: ritè præcipiens quæ ad primam Regulæ obſeruantiam ſpectare videbantur. Ex qua ſanctiſſima correctione etſi multa monaſteria deficere, ac labefactari viſa ſunt: attamen ſemper integra manſit ſancta Caſſinenſis familia, quanquàm non ſine rerum temporalium magna iactura. Atqui non multò pòſt precibus, & meritis Sancti Patris Benedicti erectæ ſunt congregationes quædam, quæ iterum penè totam Europam impleuere. Ex quibus primam fuiſſe Cluniacenſem plenè cõſtat. Deinde ſecuta eſt inclyta Cyſterciẽſis proles, quæ latè patet & ſanctæ obſeruantiæ integritate

celebris semper habita est: ideoque à sancta Sede Apostolica vbique priuilegijs, & honoribus cumulata. Est & in Hispaniæ Regnis amplissima & ipsa obseruãtissima Vallis Oliuetanę numerosa familia, in qua sacrosancta Montis serrati domus continetur. Sunt & in Germania, inque Belgica prouincia, siue Flandria multa & amplissima monasteria, in quibus vltra religiosos mores, literarum scientia maxime floret, queque aduersus hæreses, his nostris infœlicissimis temporibus, spiritualib⁹ telis acerrimè certant. Accessit ad hæc semper Veneranda Sanctę IVSTINAE Patauij Congregatio, quę cum Cassinensibus vnita à primo tẽpore existat, in Regulari obseruatione nulli secunda reputatur: immo Cœnobiorum numero, magnificentia, atque opulentia; necnon Religiosorum multitudine, & in pauperes charitate, alias omnes excellere crediderim. Ita demùm floret hac nostra ætate Benedictini gregis institutio, vt neque in vitæ sanctitate, neque religiosa obseruantia, neque cultorum multitudine,

titudine, quicquam à primo illo laudabili eiusdem religionis statu amisisse videatur. Præsertim cùm & aliæ multæ Congregationes, solis habitu, & constitutionibus, inter se differentes, sub Benedicti regula hodie militent, vti sunt Camaldulenses tã Monachi, quàm Eremitæ, Oliuetani, & alij non pauci.

CONVERSIO D. ROMVALDI Eremitarum Camaldulensium fundatoris. Cap. IIII.

TVNC ergo cùm iam de Monastica religione in occiduis quoq; partibus, sicut in Orientalibus multò antè euenerat, prorsus desperandum videbatur, magni Benedicti meritis, summique Dei beneficio: ecce quasi Sol inter nebulas, & quasi rosa inter spinas, insurgit, atque effulsit Sanctissimus vir Romualdus. Is Rauennæ anno ab orbe redẽpto 907. ex illustrissima Ducũ progenie ortus est, Sergij nobilissimi viri filius. Qui in pueritia, inque pubertatis flore in delitijs educatus, factus ado-

adoleſcens nobiliū corruptos mores in multis ſecutus perhibetur, ſed paſſim piā vtiq; mentē in actibus ſuis oſtēdere viſus eſt. Natus verò annos viginti, homicidij à Sergio patre perpetrati (ſola pręſentia, nullo tamen conſenſu) particeps factus, Patriæ illius conſuetudinem obſeruans, monaſterium Claſſenſe quadraginta dierum, pœnitentiam non commiſſi delicti acturus, adijt. O quàm mirabilia ſunt opera tua Domine? Homicidæ ſocium iuuenē facis, quò poſtea Sanctorum comes efficiatur, in loco patrati criminis pręſentem conſtituis, quò deinde ad locum pœnitentiæ ac meriti faciliùs perueniat. Iam in monaſterio commoranti Romualdo, laicus quidam Conuerſus idiota, ſed pius, Religionem ingredi ſuadebat. Recuſabat iuuenis: verùm cùm Conuerſo nocte in Templo orante, ſemel & iterum, corpus Beati Apollinaris, ibidem ſepultū, ſplendore ornatuque mirabili, ipſe tunc præſens vidiſſet, ſuadenti conſenſum præbuit. Nec mora, tanto illectamento diuinæ gratiæ captus, Religionis habitum ſumpſit.

psit, atque in dies magis magisq́ue in Dei timore, pariter & amore accrescere cœpit. Diuino itaque zelo accensus, sociorum suorum mores parum sibi placentes considerans, ausus est sæpè grauissimis verbis obiurgare. Quod illi ægrè ferentes, pijssimiq; iuuenis correctionem proteruè respuentes, odio maligno insidias ei tendere cogitauerunt. Hæc animaduertens Romualdus, perpendensq́ue inter iniquos difficile fieri virtutis iter, eòq́ue illic perfectionis semitam, quam mens dictabat, se arripere non posse, diù præmeditatus quid sibi agendum esset, consensu ab ipso Abbate, & fratribus facillimè impetrato, inde discessit. Monasterio autem egressus, idoneum perfectæ vitæ magistrum sibi anxiè quærit. Quem Deus, qui non derelinquit quærentes se, ad Marinum, qui in paludibus Venetiarum solitarius degebat, celeriter adducit. Erat autem Marinus vir miræ simplicitatis, sincerus, ac omni puritate præditus. Is hanc sibi viuendi formam præscripserat, vt tugu-

riolo luto calamoq; intexto contentus, ſtramentis humi poſitis pro lecto vtens, viliſſimoque bardocucullo coopertus, in ſumma vitæ auſteritate maneret. Per continuum anni circulum, ieiunium in pane, & aqua (præter paucos dies, quibus pulmento, & modico vino vtebatur) ſibi indixerat, præter dimidium panis, & pugillum fabæ, nihil in die ſumens, ſingulis diebus integrum Pſalterium diſtincta voce pronuncians, reliquo temporis ſpacio operi manuum, & orationi impartito. Vera profectò, licèt breuis, Sanctitatis Regula. Nō vtiq; prurientes auribus magiſtros ſibi quærit Romualdus, qui magnifica loqui, aut fimbrias dilatare ſciāt, ſed huic columbinæ menti, huic paruulo humilitate facto, huic denique innocenti viro, toto ſe corde committit. Apud quem breui tempore tanta virtute profecit, vt Marinus ſponte paulopoſt è magiſtro, Romualdi ſit factus diſcipulus.

ROMVAL-

ROMVALDVS IN GALLIAM peregrinatur, reuertitur, & Ere- miticam vitam instituit. Cap. V.

INTEREA, dum Sancti Dei homines inter arundineta, paludesq; latitare nituntur, fama sanctitatis eorum prorumpit foras, eosq; mundo inuitos manifestos facit. Vnde Petrus Vrsiolus Venetiarum Dux, relicto Ducatu per nefas, perque magnũ delictũ acquisito, cum Ioanne Grandenico eiusdem delicti socio ad eos se contulit, à quibus, vt meliùs propositum suum (sine ciuium suorumq; impedimento) exequeretur, in Galliam deducitur. Illic verò in quodam monasterio Sãcti Michaelis, in quo Guarinus (vir quidem pius) præerat; Vrsiolus, & Grandenicus monachi fiũt: Romualdus autem, & Marinus non lõge ab ipso monasterio, aptum recessum nacti, in solitudinem redeunt. At post annum Vrsiolus, & Grandenicus iam Religiosis moribus imbuti, ad suos desideratos duces, in prædictam solitudinem ve-

niunt,

niunt, qui vnà cum Marino Romualdi magisterio subduntur. Etenim tàm sancti Collegij curã suscipiens vir strenuus, arctam Marini Regulam nequaquàm relaxat, immo sibi vni arctiorem multò obseruandam proponit, socijs quò ad victũ, nihil tunc in Marini ritu innouans. Huic per vnius anni spacium, pugillum ciceri infusi quotidianus cibus fuit: tribus annis sarculo, ac manuum labore, solo Grandenico adiutus, sibi & socijs victum quæsiuit. Postremò quò certam, durabilemque viuendi formam discipulis constituere possit, multas ieiunij species expertus est, è quibus honestiorem sequendam & verbo, & exemplo suos edocuit cõmilitones. Vigilias insuper, psallendi iustum modum, orandi perfectam legem, atque corporalis exercitij, ne aliqua pretiosi temporis fieret amissio, discretam distributionem constãter ordinauit. Verùm quia de ijs omnibus, & singulis, inferiùs, vltimo scilicet tractatu, ex professo tractabitur: hìc eadẽ referre superfluum duximus, illuc lectorem cupidũ remittentes. Sic ergo annis

circiter

circiter viginti in Gallia commoratus, accepto nuncio, Sergium patrem (iam dudum Religiosum factum) ad vomitũ, hoc est, in seculum redire velle, celeriter reditum in Patriam parat Romualdus. Ibi fœliciter in perseuerantia confirmato Sergio, ipse iuxtà Classis paludem in quoddam diui Martini sacellum secessit, durior semper sui ipsius exactor. En illicò spargitur per Aemyliã tãti viri celebre nomen: quo audito, confluunt vndique (formicarum more) homines, diuersis tamen intentionibus acti, sed omnes ab eo consolationem aliquã desiderãtes. Inter eximias multasq; Romualdi virtutes, hæc præcipua habebatur, quòd nunquam ab eius præsentia tribulatus consultor, desolatus recessit, sermone ac præsentia eius hoc ipsum diuinitùs operante. Vnde Otto Imperator, & Enricus eius successor, sępissimè eũ cõsulebant, quorũ primus, nisi morte præoccupatus fuisset, Eremitam se futurum viro Dei bona fide receperat. Tanta insuper erat ei verborũ vis, & efficacia, vt passim auditores suos absq; difficul-

tate aliqua à vitio ad virtutem, à via peccati ad Religionem, à delitijs mundi ad pœnitentiam conuerteret. Huic rei teſtimonio ſunt (vt interim vulgarium turbam miſſam faciamus) Dux Vrſiolus præmemoratus, Ioannes Grandenicus, Olibanus potentiſſimus Galliæ Comes, item Buſclaui Regis filius, & Guidonis Comitis puer: his adde Bonifaciū martyrem Regio ſanguine ſatum, Tamnum Imperatori dilectiſſimum, cum magno Teutonicorum numero, qui omnes venerabilis viri hortatu mundum mirabiliter reliquerunt. Sequebantur tandem Romualdū Italicæ nobilitatis innumeri iuuenes, è quibus pręcipui extitere Ioãnes, & Paulus, qui poſteà glorioſo martyrio coronati ſunt. Stipatus ergo breui tẽpore diſcipulis ſollicitus magiſter, coactus erat ſubinde locū mutare, noua Eremitoria quærere, inuēta erigere, diuerſa Monaſteria fundare, plura de manu largientiū fundata ſuſcipere. Ideoq; ædificaſſe, & oblata acceptaſſe Monaſteria quędam legimus, viciſſimque Eremitoria non pauca erexiſſe, inter quę celebre

Camal-

Camaldulum. Sed aduertendum valdè venit, quòd vbicũque loci opportunitas se offerebat, non longè à Monasterio, Eremus quoque condebatur. Vnde sępiùs in eius historia sub eiusdẽ nomine loci, nunc Monasterij, nunc Eremi fit mentio. Vt in Sytria, Pereo, Bifurco, Parentio, & Valle de Castro. Ad quem autem finem hęc ita tunc à sancto viro fiebant, paulò inferiùs differemus. Quæ omnia quanto cum labore, atq; sudore in tanta paupertate perfecerit vir pius, quotusquisq; enarrare poterit? Sed tamen in omnibus strenuè se gessit, neque sibi pepercit vnquàm, dummodo Christo suo lucrifaceret animas, & viam salutis pœnitentibus aperiret, ac præpararet.

CONSTANTIA, ET VIRTVtes Romualdi. Cap. VI.

FVit prætereà in homine isto mirabilis in laboribus constantia, in tentationibus resistendi vigor, in opprobrijs, iniurijsque tole-

randis patientia, necnon in miraculis operandis diuinæ prorſus gratiæ illuſtratio. Solent plerumque etiam præclariſſimi viri à primo iuuentutis rigore quaſi victores vitiorum facti, paululùm deflectere, quod & Benedictus ſanctiſſimus fecit. At nõ ita Romualdus noſter, qui conſtantiſſimè Eremiticum viuendi inſtitutum ab initio cõuerſionis aſſumptum (quod ſuperiùs adnotauimus) donec illi vita comes extitit, ad vnguem obſeruaſſe pleniùs comprobatur, vtpotè qui ſolis exemplis, nulla autem ſcriptura, ſemper diſcipulos edocuit. Et, vt ſemel dicam, ipſe in victu cęteris parcior, in veſtitu pauperior, atque in laboribus promptior eſſe voluit. En tibi poſt Gallicam peregrinationem nudis pedibus, ob patris ſalutem, Rauennam reuertitur. Deinde, vt ſuos apto valeret loco locare, qua ſolicitudine tot monaſteria, totq; Eremitoria conſtrui curauit? Rurſus ad eoſdem inuiſendos, conſolandos, moribus componendos, inque diſciplina retinendos, quoties à Parentio in Biſurcum (vt hiſtoriæ verbis

bis vtar) Adriaticum ſulcans, ab Aemylia in Dalmatiam, à Dalmatia in Picenum, à Piceno in Hetruriam tranſcurriſſe ſenem credas? Adde, quòd ad capitis ſui imitationem incredibilia ſuſtinuit probra, pertulit irriſiones, atque duriſſima tùm ab hominibus, tùm etiam à dæmonibus ſuſcepit patienter verbera. Dum Balnei moraretur non longè à monaſterio ſolus, nonnulli filij Belial furore maximo obcæcati in cellam eius irrumpunt, eumq; intus verberibus crudeliter efficientes, direptis omnibus, ac turpiter dehoneſtatum, de finibus illis eiecerunt. Alia vice quidam iniquitatis miniſter, iuſti ſenis correptionem nõ ferens, proprijs manibus obſtricto gutture ſuffocare voluit. Si contumelias hic, quas à varijs, ac diuerſis hominibus ſuſtinuit, omnes enarrare vellem, iuſtum libelli modum tranſcenderent. Certè nunquàm defuit aliquis Satanę diſcipulus, qui eũ de peſſimis criminibus falsò accuſaret, iniuriasque illi cum turpiſſimis calumnijs inferret. Quid tandem non eſt machinata inuidorum, atq; dia-

boli inueterata malitia? Attamen fidelis Christi imitator hæc omnia non solùm patienter ferre, sed etiam libenter amplecti, & gaudẽs cuncta portare semper visus est, immò peiora, durioraque opprobria: quò Deo suo magis placeret, desiderasse sæpius discipuli eius adnotauerunt. Porrò nõ cessauit antiquus hostis ab initio conuersionis eum varijs tentationibus, monstruosisq́, vitiorum speciebus immissis quotidie oppugnare, quibus & territamenta addebat malignus immania, vsque ad apertum certamen descendens. Sed omnia dulcissimo nomine IESV inuocato, vincere est solitus. Sic in atros aliquando ceruos, quãdoque teterrimos Aethiopes, plerũque brutorum horribilia monstra cõuersos spiritus, Dei seruus fugabat. Iam, quæ alicui Sanctorum gratia fuit vnquam, quam non habuerit iustus iste? fuisse in eo sapientiæ, scientiæq́ue sermonẽ, multitudo eorum, quos ad fidem, adq́ue pęnitentiam, seu religionem cõuertit, plenissimè manifestat. Perfectionis donum, inclusus cellula in Eremo Parentij, per

Spiri-

Spiritusſancti afflatum (Deo miſerante) ſuſcepit. Miracula, quæ Deus per ipſum operatus eſt, longum eſſet enarrare. Hic flagrantem ſuccenſa cella ignem, nullo naturali adminiculo, ſola oratione meruit extinguere. Nauim ſeuiente turbulenta tempeſtate iam penè ſubmerſam oratione ſubleuat, atque velut in tranquillo mari recta via in portum direxit, nauigio, animabusq́ue omnibus ſaluis. Rabidum dentis dolorem cuiuſdam presbyteri tactu digiti illicò ſedatum legimus. Ingens fagus abſciſſa naturali pondere ſuper cellam, in qua ipſe Sanctus incluſus manebat, magno impetu ex altiori loco ruens, iamq́ue ferè ædificium attingens (res ſtupenda) ſigno crucis facto, quaſi funibus, aut quadam violentia inde abſtracta, ſuper cellam tranſiliens, longè ſeorſum cecidit. Quid moror? infirmos curauit multos, non paucos liberauit dæmoniacos, ac tandem furentium mentes mirabiliter ſanaſſe, eius hiſtoria pleniſſimè narrat. Vix denique aliquod miraculorū genus extat, in quo ſanctiſsimi viri diuina virtus non clarue-

claruerit. Nonne & illud miraculum sapit, quòd cùm iuuenis rudissimus foret, senex Spiritu sancto illuminatus tantam scientiam adeptus fuit, vt Psalterium Dauidicum sublimioribus sensibus sit interpretatus? Præterea nec Prophetico Spiritu caruit, qui Imperatori ipsi propinquam mortem prenuntiauit; qui in absentia, seu in abscondito à fratribus gesta, & vidit sepè, & prædixit; qui furem longè positam cellam frangentem, nocte fratribus fecit manifestũ; sic Montem Amiatam multò antè suis obuenturum prænunciasse compertum est. Postremò sciendum est, obitum suũ, & locum in quo erat moriturus, moriẽdique modum viginti annis antè discipulis suis notificasse: quos in nullo fefellit vir sanctissimus. Obijt autem, vt predixerat, in Valle Castrensi, inque solitaria cella reclusus, ac velut alter Paulus primus Eremita, emissis ad Monasteriũ Monachis, qui eum die illa visitauerant, solus (vt qui solus vixerat) beatam animam ad cœlos transmisit. Vixit verò beatissimus Pater centum viginti annis,

viginti

viginti ſcilicèt in ſeculo, tres in Monaſterio, nonagintaſeptem in Eremitico propoſito tranſactis. Obijt tandem decimotertio Kalēd. Iulias anno MXXVII. poſt Mundi redemptionem. Cuius ſacratiſſimum corpus poſtmodum inde tranſlatum eſt, & in Monaſterium ſancti Blaſij Ordinis Camaldulenſis apud celeberrimum Piceni Oppidum Fabrianū honorificè repoſitū, hodie ſumma omnium veneratione colitur. De cuius tranſlatione, quia miraculoſa fuit, ſpecialis libellus circumfertur. Hæc itaque carptìm ex pleniſſima, ac luculenta Petri Damiani de vita Romualdi hiſtoria deſumpta referre ſtatui, ne quid memoriæ dignum hìc deficere videretur: qui autem plura de tanto Sanctô cognoſcere deſiderat, illuc ſaciandus recurrat, vnde abundantiùs haurire poterit.

VTILITAS EX ROMVALDI inſtitutione ſecuta. Cap. VII.

EX præcedentibus ſiquidem conſtat, quis, qualis, & quantus extiterit Romualdus;

mualdus; nunc quid, quantumve Eccle-ſiæ Dei profuerit eius virtus, labor, & in-duſtria; nec non quid Monaſticæ Reli-gioni augmenti eius exemplum attule-rit, breuiter aperiemus. Hic igitur pri-mus Orientalium Anachoretarum per-fectiſſimæ inſtitutionis, in Occiduis re-gionibus fundator fuit: hic Benedicti re-gulam, iam pro Monachorum diſſolu-tione penè antiquatam, multo cum ſu-dore inſtaurauit. Huius exemplo, atque hortatu accenſus Ioannes Gualbertus, qui & eiuſdem diſcipulus fuit, Vallis vm-broſæ Congregationem erexit, anno MXVI. Huius nomine, ac victitandi mo-do auditis, Venerabilis Bruno ad eiuſdẽ imitationem, ſuam condidit Cartuſiam; vnde tàm ſancta, numeroſaque proles exorta comprobatur. Quæ initiũ habuit anno MLXXXVI. Beatiſſimus inſuper Ro-bertus toto Orbe celeberrimi Ciſtercij fundator, iſtorum exemplis animum ſuũ ad tàm mirabile opus ſuſcipiendum, in-formaſſe meritò creditur. Quæ ſanctiſ-ſima cõuerſatio cępta eſt anno MXCVIII. Hinc lucidiſſima illa ſtella, Bernardus

Clara-

Claraualleñsis cum suo laudabili grege paulò pòst emanauit. In summa præter Eremitas sancti Augustini, quos vocant, De obseruantia, & Cassinenses, nec non Præmostratenses fratres; reliquos omnes quocunque nomine appellentur, Religiosos viros, longo præcedit temporis interuallo, sanctissimi Romualdi veneranda proles. O ter, quaterq; beate Romualde Pater, cui te ego Sanctorũ similẽ faciã? Tentationibus, & pugnis dęmoniorum in nullo, Antonio magno cedis; nec quicquã ille passus legitur, quod tu durissimè non sis expertus. Hilarionem vicisti abstinentia, & vitæ austeritate. Quid? in feruore charitatis, in proximi dilectione, in laboribus proximi sufferendis (audacter dicam) Doctori Gentium, Apostolica dignitate excepta, merito es conferendus. Nec immeritò cũ eodem dicere poteris: Ministri Dei sunt, & ego, in laboribus plurimis, in carceribus reclusionum abundantius, in plagis supra modũ, ter virgis cęsus sum, ter naufragium feci. Quid plura? tu in itineribus sępè, periculis fluminum, pe-

riculis

riculis latronum, periculis ex genere, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore, & ærumna: in vigilijs multis: in fame, & ſiti: in ieiunijs multis: in frigore, & nuditate. Te tandem cum Paulo gloriari oportet in tribulationibus tuis. Tu certè lac dediſti paruulis, eſcam tribuiſti adultis: ſtatuiſti debilibus Monaſticam, Eremiticam fortioribus, atque robuſtis propoſuiſti viuendi rationem. Quòd cũ nullus huius diſciplinæ magiſter hactenus fecerit, equidem tu omnes longè es ſuper egreſſus.

SACRAE EREMI CAMALdulenſis, & Fontisboni hoſpicij ædificatio. Cap. VIII.

INTER omnes Eremos, quas Sanctiſsimũ Romualdũ ædificaſſe legimus, pręcipua fuit, primasq; ſemper tenuit Camaldulenſis, quæ ſacra meritò appellari ſolet, tùm quia ſolitudo illa ab initio Deo conſecrata extitit, tùm quòd qui eam incolunt, ſacri ſint, & ſa-

crificia

crificia Deo iugiter offerant. Camaldulum autem ager ſylueſter eſt, quondam cuiuſdã Malduli nobilis Aretini, à quo & nomen ipſum (quaſi cãpus Malduli) deducitur. Eſt itaque campus iſte in vertice celeberrimi montis Appennini, intra fines Diœceſis Aretinæ, interque altiſsimos colles, quibus Hetruria ab Aemylia prouincia diuiditur, conſtitutus. Cuius quidem ſitus amænitate rarus, vndique vernante abiete cinctus, manantibusque inde è fontibus ſeptem ſaluberrimis aquis: ideoque à quibuſdã (licèt ambitu breuis, anguſtusq; exiſtat) campus ſpacioſus, mirabilis, atque amabilis non incongruè nuncupatur. Hanc Eremum ab ipſo Romualdo ædificatam fuiſſe, Petrus Damianus inter narrationem miraculi ibidem facti nudis verbis affirmat: ſed de modo, aut tempore, alioquin diligentiſsimus author, nullum verbum facit. Quòcirca nobis neceſſarium erit, geſtorum narrationem altiùs repetere. Reuerſus igitur è Gallia Romualdus, dum ad Claſsis paludem, ſeu in Sancto Martino in ſylua (vt ſuperiùs diximus)

ximus) moraretur, multis ad ſe venientibus, coactus eſt inde egreſſus alia loca quærere: vtque eos ad Eremiticam, Monaſticamque vitam valeret inſtruere, varia monaſteria, necnon diuerſa Eremitoria condere. Quod autem ex multis primùm erectum fuerit, non ſatis liquet, niſi ex hiſtoriæ contextu ſcripturæ ſeriem attendentes, Perei, vel certè Balnei ædificia tempore reliquis priora dicamus. Verùm cùm hæc prioritatis quæſtio nullius momenti ſit, ad ea, quæ ad rem faciunt, prioritate relicta, accingamur. Indefeſſus ergo Dei famulus, diligentiſsimusque in vinea Domini operarius, deſiderans aliquem inſignem ad Eremiticam vitam aptum locum, qui ab omni populo procul, & ab hominum cōcurſu longè ſegregatus foret, quò potiſsimùm ſe verteret ad illud inueſtigādum, diù deliberando cogitauit. Quo pijſsimo deſiderio affectus ſenex, anno milleſimo duodecimo, ætatis verò ſuæ centeſimoquinto, ab Adriatici maris oris, ab ipſo patrio ſolo Tuſciam verſus iter concitus arripuit. Vidiſſes decre-

pitum

pitum ſenem iuuenili geſtu gradientem, per Alpium profundas valles, per inuios ſaltus, per inſuperabiles colles ceruis velocius tranſilientem. Non illum arduæ rupes, non peruia iuga, non fulta ſylua, aut denſiſsima rubus quicquam detinet: omnia calcat, ac tranſcendens cũcta ſuperat vniuerſa. Porrò facta ſunt ei aſpera in vias planas. Receſſus ſingulos intereundum conſiderat, valliculas quaſque perluſtrat, ſagaciter attendens quæ ſit cuiuſque loci ſecundùm ſuam intentionem commoditas. Tandem ſuprema Appennini iuga attingens, Camaldulum venit, vbi loci diſpoſitionem, ſitusq́; amænitatem intuens, baculo (quẽ manu de more geſtabat) incũbens, paululum conſtitit, cunctaque diligentiſsimè rimatur. Tunc primùm itineris laſſitudinem ſentire cępit: tunc ſeniles cęperunt deficere artus: tunc debilia mẽbra requiem poſtulant. Aſsidet ſuper gramina ſenex, & protinus ſiue laſsitudine, ſiue nimia inuenti loci delectatione affectus, obdormiuit. Et ecce in ſomnis vir Dei in Spiritu raptus, viſionem videt,

videt, ſcalam ſcilicet, ad inſtar Iacob, cœlos pertingentem, & per eam Monachorum multitudinem aſcendere. Mox autem expergefactus, inque ſe reuerſus, Nunc, inquit, ſcio verè hanc iucundiſsimam manſionem ſeruis ſuis præparaſſe Dominum. Qua de re gratias ſtatim Deo ſuo egit: quibus necdum finitis, feſtinus de monte deſcendit, qua mons ipſe in Tuſciam declinat, Aretiumq; verſus dirigit iter. Hoc in loco varij varia tradunt, qui certè parùm inter ſe conſtare videntur. Quorum alter Romualdum Aretij cõmorantem ab ipſo Maldulo fuiſſe præuentum, eò quòd primus ſomnium de ſcala præfata ſomniaſſet: Alter & Romualdum, & Maldulum eundem vidiſſe viſum affirmat. Alius eorum aſſerit monaſterium Fontisboni, palatiũ fuiſſe Malduli, & rurſus Maldulũ in ipſa Eremo habuiſſe ſacellum, in quo ipſe cum paucis quibuſdam ſocijs ſæpe orabat: item quidquid ibidem Romualdus habuit ab ipſo Maldulo, ei fuiſſe donatũ. Nos verò præfatos authores in ſuo ſenſu relinquentes, veram, germanamque

huius

huius facti narrationem paucis ostendere intendimus, quam authenticis ex ipsius Camalduli scrinio testibus adductis probare haud difficile erit. Principio itaque sciendum est, post scalæ visionem Romualdum Aretium recta petijsse, ac Præsulem ipsius Vrbis rei gestæ manifestandi causa conuenisse. Erat autem tūc temporis Aretij Episcopus vir quidam magnæ æstimationis, in sacris literis apprimè eruditus, timoratus, & verus Dei cultor, nomine Theodaldus. Hic cùm Romualdum vidisset, senis abiectā præsentiam, & sordidū palliolum, seu squalore fœtentem cucullum, nequaquā contempsit; neque horridam pauperis nuditatem abiecit. Sed eum Dei famulum reuera agnoscens, & libenter allocutus est, & honorificè tractauit. Quo tandem audito, laudauit senis propositū, illudq; vt prosequeretur, atque perficeret, summoperè hortatus, condendæ Eremi impensas se eidem ministraturum, animo pio recepit. Tali igitur impetrato auxilio, abijt impiger Dei minister, & omni sedulitate adhibita, breuiùs quàm

credi

credi poteſt, templum non ignobile, & in circuitu eius quinque cellulas Eremitico more conſtruxit. Ea tamen ſtructura in cellis ædificandis vſus eſt, vt earum forma, humilitatem puram, nullam autem ſuperfluitatem præ ſe ferre videretur, ita vt corpus ab aeris iniuria defenderet, nec animo elationis aliquod fomentum præſtaret. Templum verò ab ipſo Theodaldo Epiſcopo in honorem, ſubq́; inuocatione Saluatoris noſtri cõſecratum extitit. O ſanctiſſima paupertas, cui cũ nihil ſit, nil deſit tamen: quæq́; cùm nihil habeat, poſſidet omnia. Non erat Romualdo vnde iſta conficeret: & ecce paupertas protulit Theſaurum ſuũ, & ſuperabundarunt cùm materia ſumptus. Opere igitur perfecto, beatus Pater in ſingulis domunculis ſingulos collocauit ſocios Eremitas, cum quibus & ipſe per annos aliquot cõmoratus perhibetur. Nec ſtatim (vt quidam ſcribit) inde receſſit: cùm beatus Ioãnes Gualbertus poſt annos quatuor (quemadmodum eius hiſtoria habet) ibidem Romualdum cum ſuis fratribus in pau-

perrimæ

perrimæ vitæ diſtrictione degentem inuenerit. Nec deeſt, qui affirmet, eum in ea cella, quæ eius nomini dicata eſt, per annos aliquot manſiſſe recluſum: cui & Petrus Damianus (in miraculo de fago abſciſſa) aſtipulari videtur. Dum itaq; ibidem cum prædictis ſocijs moraretur, eo viuendi genere vtebatur, vt non ſolũ ſuis diſcipulis, ſed etiam cunctis cernentibus eſſet admiratio. Ac proinde quotidie ab incolis eiuſdem regionis, quin & ex longinquis oris venientibus, nimium frequentabatur, quod ipſe ſemper maximè abhorruit. Solet namque ex huiuſmodi hominũ frequentia magna ſpiritualibus viris, mentis prouenire diſtractio: & præſertim quia ſine aliqua refectione aduentantes peregrinos dimitti, inter Dei ſeruos nefas reputatur. Quibus omnibus prudenter animaduerſis, nullatenus diſtulit de opportuno remedio prouidere. In inferiori montis parte, conuenienti ſatis loco reperto (quẽ Fontem bonum appellant) ab Eremo mille paſſibus, plus minus, diſtante, domum quandam conſtruere decreuit. Nimirum,

mirum, vt ibi veniētibus hoſpitibus opportuna, & neceſſaria, iuxtà paupertatis modū, refectio pararetur: ſicq; eis in Eremo diutius manendi tolleretur occaſio. Præthereà id actum eſt, vt omnis de rebus ad Eremi neceſſitates pertinētibus tractatio (ea namque eſt humana natura, vt ſine hominum commercio ſuſtentari omninò nequeat) remotiùs expediretur: quoque ipſa Eremus ab omni ſemper ſeculari ſtrepitu immunis eſſet, ſicque in ea morantibus libera Deo vacandi facultas daretur. Iam domo ipſa peracta, tres in ea ſtatim fratres, vnum ſacerdotem, qui præeſſet reliquis, & duos conuerſos ſeruituti domus dicatos, prouidus pater locauit: quos piè, ac diligenter edocuit quidquid ibidem eſſent acturi. Præcepit inſuper Romualdus Priori Eremi conſtituto, vt ædificio Fontis boni Eccleſiam ad celebrandum adderet, quod & ſic factum fuiſſe hodie apparet. Porrò hæc eſt vera Camaldulenſis Eremi fundatio prima, quam ex dictis beati Rodulphi, qui quartus ab ipſo Romualdo Prioris authoritatem

ibidem obtinuit, quique primus omniũ res Camalduli deſcripſit, veraciter exarauimus. Cuius venerabilis viri auctoritas vtique modernioribus poſtponenda videri non debet, ſed quò antiquior, eò veracior habenda eſt.

ROMVALDVS CAMALDVlum relinquit. Cap. IX.

POSTQVAM ergo vir ſanctiſſimus vltimam operi impoſuiſſet manum, atque chariſſimos diſcipulos per annos aliquot Eremiticis moribus imbuiſſet, cõſiderans ſe eiſdem nõ eſſe deinceps ampliùs neceſſarium, ſic domo, familiaq; diſpoſitis (Spiritu ſancto dictante) aliò, vbi maiorem Deo ſuo animarum lucrũ parare poſſet, ſe transferre ſtatuit. Sic equidem tot monaſteria, totque Eremitoria condidit diligentiſſimus miniſter: ſic tàm multos in religione retinebat, quia ab opere nunquã ceſſare conſueuit. Veruntamen antequã inde proficiſceretur bonus paterfamiliàs vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis

bona ſua, vt ipſo longè profectò ſolicitè negotiarentur. Hi erant iuxta Rodulphi narrationem numero quinque, quorum primus vocabatur Petrus cognomento Daguinus, qui prudētia, & religioſis moribus longè præſtabat, eóque magiſtro charior ſemper habitus eſt. Secundus & ipſe Petrus: tertius Benedictus: quartus Giſſus: quintus verò Teuzus nūcupatus. Puſillus quidem grex, ſed quibus placuit Deo dare regnum ampliſſimum: grex, inquam, humilis, obediens paſtori, ac Deo deuotus. Hos erudierat ſpiritualis Pater ſpiritualiter viuere: hos Eremiticæ conuerſationis regulam, non ſcriptis, ſed exemplo docuerat, tradens illis diſcretum ieiunãdi modum, ſilentij virtutem, & in cellis conſtanter reſidendi incomparabilem vtilitatē. Quibus tandem coram ſe conſtitutis, ſic allocutus perhibetur: Quo animo in vos fuerim, quamdiu vobiſcum verſatus ſum, filij chariſſimi, quia operibus vobis manifeſtum feci, non exiſtimo opus eſſe verbis oſtendere. Nunc autem diſceſſurus, ad Domini mei Ieſu Chriſti exemplum,

pacem,

pacem,& fraternam dilectionē vos semper inuicem habere paterno affectu moneo. Satis enim mihi videtur fecisse, si pro terrenis, caducisque bonis, quibus vos pro Dei amore carere suasi, preciosam hanc margaritam vobis relinquam. Quam si inuiolatam apud vos seruaueritis, nec corporalia alimenta,nec spirituale gaudium vobis deerit : nam diligentibus se,ac feruentibus,dixit Veritas ipsa, hæc omnia subijcientur vobis : & iterum , Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi . Deus autem patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum,vt vnanimes vno ore honorificetis Deum : sit omnium vestrū anima vna, & cor vnum; & Deus pacis erit vobiscum ; quem habentes, omnia possidebitis. Verùm paupertatem sanctam tanquam sponsam habete, & obedientiam velut sororem cum perseuerantia vsque in finem. Me de cętero, dilectissimi, præsentem habere non potestis: aliò enim me vocat Spiritus,quid acturi sitis,apud vos manens, exemplis, ac frequenti exhortatione non negli-

genter vos docui. Exempla, quæ dedi, æmulamini, & verba, quæ locutus ſum vobis, ſeruate. Iam ne ſine duce ambuletis, Petrum (licèt non illum, quem IESVS vniuerſæ fidelium Eccleſiæ propoſuit) ſed hunc Daguinum, vobis prępoſitum relinquo: ipſe prior, ipſe dux veſter erit. Ipſum, tanquam me, audite: eius præceptis obedire, eiuſque correctiones benignè ſuſcipere, tanquam fratres chariſſimos rogo. Tu verò, Petre, quem ſemper præ cęteris dilexi, paſce oues, non meas, ſed Chriſti: non quaſi dominans in eis, ſed quaſi forma gregis factus ex animo: exemplo tuo eos inſtrue cum charitate, & patientia. Noli animas eorum irritare, ſed potiùs eos, ſi aliquando confractos videris, quaſi fratres tuos dulciùs conforta: quod ſi fideliter præſtiteris, cũ apparuerit Princeps paſtorum, percipies immarceſcibilem gloriæ coronam. Quibus dictis, & ſingulis eorum ſpirituali oſculo dato, omnibus ſimul valedicens, inde receſſit, atque ad Eremum Vallis Caſtrenſis, quę in Piceno eſt, ſe tranſtulit.

HOSPI-

HOSPICIVM FONTISBONI in Monaſterium redigitur. Cap. X.

PETRVS igitur Daguinus, optimi magiſtri diligentiſſimus imitator, tanta prudentia, atque diſcretione familiam ſibi traditam diſpoſuit, ac rexit; vt non ſolùm vulgaribus hominibus, ſed etiam primatibus eſſet admiratio. Vnde Theodaldus Epiſcopus quidquid Romualdo donatum fuerat, eodem Romualdo vita functo, eidẽ Petro, nouo inſtrumẽto celebrato confirmauit: quibus & nouas poſſeſſiones, decimas, ac alios reditus non paucos adiunxit, ad ſumptus, & alimenta Eremitarum ibidem cõmorantium. Quam obrem (omiſſis aliorum hac de re diſputationibus) iuxta præfati contractus tenorẽ, omnia ab ipſo Theodaldo Eremo ſacræ elargita videntur. Sed quid refert, ſi dicamus, Maldulum ſuum campum, Epiſcopum verò Eccleſiam, & reliqua eſſe elargitum? Etenim vtrumque Romualdo deuotum ſcimus, & ideò dicendum eſt, amborum elargitionibus

Eremum fundatam, atq; dotatam fuisse. Postremò ne quid hìc intactum relinquamus, sciendum est, Petro decedenti successisse Albizum, post quem Rusticus electus est; qui ambo & moribus, & vita claruerunt. Quartus autem à beato Romualdo sacræ Eremi prior extitit beatus Rodulphus, vir certè magnę sanctitatis, & rerum gerendarum peritia apprimè ornatus. Hic optimo consilio noua super hoc constitutione lata, hospicium Fontisboni in Monasterium redegit. Nimirum quò ibi venientes nouicij per annum tyrocinij probati, & regularibus disciplinis instituti, posteà (consensu maiorum obtento) ad Eremum ascenderent. Laudabilis profectò consuetudo: quæ tamen, experientia fortè docente, iam olim ab vsu recessit; ita vt nunc statim ad Eremum conuolēt nouitij, vbi vitæ austeritatis certius experimentum faciant. Rursus eadem cōstitutione cautum est, vt imbecilles, qui diutius Eremiticam austeritatem ferre non possent (ne ad vomitum seculi redire cogerentur) ad Monasterium de-

scenderent:

ſcenderent: vbi cum reliquis Monaſti-
cam ſaltem regulã obſeruantes, ad mor-
tem vſque perſeuerarent. Quæ ſanctiſ-
ſima conſtitutio etiam hodie obſerua-
tur. Tertiò prouiſum fuit, vt Eremitæ
infirmi illuc delati neceſſaria refectione
confouerentur, necnon opportunis me-
dicamentis à morbo ipſo citiùs curaren
tur, ac conualeſcerent. Porrò non mo-
dicæ vtilitatis fuit illa antiquorum Pa-
trum ordinatio, cùm inde in amplum
Monaſterium paruam domum deueniſ-
ſe conſtet, in quo numeroſa nimis ſeruo-
rum Dei familia maiori obſeruantia,
quàm in alio quouis eiuſdem Religionis
Cœnobio, pijſſimè degat. Vbi reuera
multa pia, ac charitatis opera quotidie
exercentur: qualia ſunt infirmorum ob-
ſequia, hoſpitalitas peregrinorum, atq;
in pauperes continua eleemoſinarũ lar-
gitas. Hoc tandem in conſtitutione illa
additum eſt, vt & Monaſterium ipſum, &
qui in eo habitant, Eremitis in perpetuũ
ſubſint, & per Eremitas regantur. Quod
hactenus ad vnguem obſeruari, manife-
ſtè videmus.

PRIMA

PRIMA DISCIPVLORVM ROmualdi institutio. Cap. XI.

ETsi ab initio beatissimus Pater Romualdus ad antiquam sanctorum Patrum Anachoretarum religionem suscitandam contenderet, ne quis tamen vitæ austeritate à Dei seruitio excluderetur, sæpiùs in eodem loco & Monasterium, & separatas solitariorũ cellas ædificare consueuit. Quo prudentissimo consilio robustos corpore, & animo feruentes, in solitudine: imbecilles verò ac debiles in claustrali, regularique obseruantia, sub Benedicti sanctissimi regula retineret. Vnde factum est, vt moriẽs multa relinqueret (præter Eremos) Monachorum Cœnobia. Quapropter apud Petrum Damianum, qui omnia diligenter adnotauit, plerumque idem locus modò Eremus, modò Monasterium appellatur. Porrò sic intelligendum illud est, quod idẽ author trigesimo capite scribit. Constructo scilicet, in Pereo Monasterio, præcepisse Romualdũ Abbati à se constituto, quatenus in Eremũ

secedens,

ſecedens per totam hebdomadam in cel la conſiſteret, Dominicis autem diebus ad Monaſterium rediens, Monachos viſitaret : & nihilominus vigeſimo ſexto capite, de eadem Eremo tractans, nulla de Monaſterio agitur mentio. Eodem modo factum fuiſſe in Sytria, valle Caſtrenſi, Parentio, & alijs locis multis manifeſtum eſt. Voluit attamen vir ſanctiſſimus, etſi diuerſo ritu, & habitatione, vtroſque Eremitas, & Monachos in vnitate ſpiritus vnum & idem eſſe, inque ſubſtantia charitatis, regiminiſque ratione, atque communitate vitæ vnitos, indiuiſos, & inſeparabiles optauit. Noluit, inquam, inter eos aliquam apparere conuerſationis differentiam, ſed vtriſq; in eodem loco commorantibus vna & eadem eſſet conſtans familia ; quæ ab vno, eodemque patre, ſiue prælato regeretur. Ad quem finem, diuino ſanè inſtinctu, commune vtriſque inſigne (vulgò arma) reliquit: duarum videlicet columbarum in eodem calice ſimul & ſemel bibentium. Sunt tamen qui dicant, poſt eius mortem miraculosè repertũ,

quod

quod ſi ita ſe habet, maioris confirmationis prædictorum cenſetur. Ego certè idem inſigne in quodam Monaſterio ab ipſo Romualdo conſtructo (nunc autem diruto) in ſuperiori parte oſtij in viuo lapide eiuſdem ſtructuræ ſculptum vidi. Hoc denique communi ſigno ad vnitatẽ ſui ipſius oſtendendam etiam hodie vtitur Camaldulenſis religio. Verùm quãuis Pater ſanctus ratione charitatis, regiminis, & vnitatis eos vnum & idẽ corpus eſſe ſtatuit, non tamen vtriſque eandem formam, ſeu viuendi normam tradidit. Nam Monachis regula beati Benedicti profitenda,& obſeruãda perinde quò ad mores, quemadmodum quò ad victum, & veſtitum, atque habitationẽ propoſita extitit: ita ſanè, vt regulari diſpoſitioni nihil addidiſſe credatur, cũ ſolis debilibus hanc indulgere ſit ſolitus pijſſimus inſtitutor. Sciens reuera præfatæ regulæ obſeruationem illis ſufficiẽtiſsimam eſſe ad piè,ſanctèque viuendũ, necnon ad perfectionem, ſalutemque æternam conſequendam. Eremitis verò, quorum propoſitum longè ab ipſa

regulari

regulari inſtitutione diſtat, nullam vnquàm certam regulam, ſeu præſcriptum ſtatutũ viuens propoſuit, neque moriens reliquit. Certior vtique factus meliùs, atque præſtantiùs eſſe aſsiduis ſanctitatis exemplis, ac crebris ſalutiferis monitionibus, quemadmodum Chriſtus fecit, diſcipulos inſtruere: quam præceptis multis oneratos ſine typo rectè viuendi eoſdem relinquere: faciliùs nãq; ſcriptam legem tranſgredimur, quàm ſalutifera exempla violamus, præcipuè ſi ea à noſtris parentibus, aut optimis prę- ceptoribus habere contigerit. Ad hæc alia potior ratio accedit: nimirum quia ſolitariorum viuendi ritus nõ omnibus, qui in ſolitudine ſunt, vnus & idem eſſe poteſt. Ecquis eſt, qui neſciat, vni ſufficere paximacium octo vnciarum, & alteri nõ ſatis eſſe duo? Rurſus mihi aquæ potum ſalutiferum eſſe, tibi mortiferũ? Quis ignorat, quoſdam hebdomadas integras ſine cibo alacriter tranſigere, cũ alij multi ne vnicum quidem diem ſine refectione poſsint ſubſiſtere? Videmus etiam alium in oratione iucundiùs pernoctare,

noctare,

noctare, &ècontrà alterum vnius horæ ſpacio orando deficere: ſic mihi aſpirationes crebræ, ſiue iaculatoriæ orationes proſunt: alijs verò iugis deprecatio vtiliſſima eſt. Nouimus quoſdam, quos cilicino ſago continuò indutos nil grauare, ne dicam nocere, ſcimus: & ſunt qui laneam ſubuculam, ſeu ſi mauis, tunicellam pati non poſſunt: quod ex qualitatis, complexionisve corporeę diuerſitate procedit. Tandem iſte ſuper vda humo cubans, non modò ſanus, ſed & robuſtus conſeruatur: ille ſi blanda careat matta, cras infirmus erit: iſte ſuper duro lapide reclinat caput, & dormit, ac ſoporatur: ille ſine molli ceruicali quieſcere nequit. Et ne hìc omnia pœnitentiæ exercitia referre cogamur, non omnibus eadem natura, non complexio, nō æqualis fortitudo, ſeu conſtantia data eſt: vt omnes æqualiter eandem abſtinentiam, ſimilem rigiditatem, & alias ſolitariæ vitæ aſperitates potentes ſint, ſine magno & corporis, & ſpiritus detrimento ſuſtinere. Erant in illa paupertima (ideoq; ſacroſancta Romualdi ſocietate)

cietate) qui cum magiſtro legumini-
bus,oleribusve ſolis victitarent:& erant
qui ſimul cum oleribus, & leguminibus,
pane veſcebantur: quin & duplicatam
cuidam diſcipulo eius debili portionem
panis legimus. Tum nonne aliqui eorum
fodiendo, & alijs manualibus laboribus
panem quærebant, & alij ocioſi eundem
panem manducabant? Poſtremò in ſo-
litudine vnusquiſque in ea virtute ſe ma
gis exercere debet,in qua magis præua-
lere dignoſcitur. Quod maximè inter
antiquos Anachoretas,in vſu fuiſſe, infi-
ciari non licet. Non equidem ideò quis
exiſtimare debet, ſanctiſſimum Archi-
mandritam ſine ordine, ſineque aliqua
inſtructione ſuos in Eremo continuiſſe
diſcipulos. Docebat enim eos efficaciſ-
ſimis verbis quotidie ieiunãdi modum,
vigilandi, & pſallendi rationem, ſilendi
optimam conſuetudinem, & in cella ma
nendi ſtilum: inſuper ſua taciturnitate
eos reddebat ſilentes, & abſtinentes ſua
parcimonia; ſua aſſidua oratione feruen
tes, & ſua continua pſalmodia pſallendi
formam illis tradebat: ſua denique in-
uiolabili

uiolabili ſolitudine, illos in cella manere compellens: nudis item pedibus, & capite incedẽs, eos nuditatis fecit amatores. Nec ceſſabat tentatos confortare, puſillanimes viriliter animare, & pigros, frigidosq́ue, ſeu tepidos, ad pugnã nunc blandis, nunc acrioribus verbis exhortare. Virtutes prætereà quaſi digito demonſtrans, ad eas amplectendas, ſeu acquirendas monitis continuis eos informabat. Quid multis opus eſt? ipſe fratribus ſuis regula, ipſe conſtitutio, ipſe doctor, & magiſter, & exẽplar, dux, & via. Nec profectò infrugifera fuit huiuſmodi exemplaris inſtitutio, cùm ea edocti diſcipuli tantam perfectionem vitæ adepti ſint, ac ſanctitatem: vt ex illa ſchola plures in Eccleſia Dei Sãcti emicuerint. Quales fuere ſanctiſsimus Bonifacius, Ioannes, & Paulus, Gaudentius, Gerardus, filius etiam Comitis Guidonis, & alij innumeri, quorum nomina ad manus non habemus. Poſtremò nonne Sanctos prædicat Petrus Damianus omnes Perei habitatores, ac Sytriæ cultores: nonne Sancti ſunt quinque Eremitę

Camal-

Camalduli à ſancto Romualdo relicti? quinque, inquam, columnæ illæ, quibus ſuprà tota religio noſtra fundata manet? O vtinam nos tot regulis, tot conſtitutionibus, ac ordinationibus onuſti, dimidium ſanctitatis eorum poſſideremus.

DE LAVDIBVS SACRAE Eremi Camaldulenſis, & cur tota Religio ab ea denominetur. Cap. XII.

ORDO Camaldulenſis tres continet Religioſorum ſpecies: ipſos, videlicet, Eremitas, qui in ſacra Eremo reſident: & Congregationem Monachorum ſancti Michaelis Murani: necnon ſocietatem Eremitarum ſancti Romualdi Montis Coronæ, quæ anno MDXX. initium habuit, de qua per tres libros ſequẽtes diſſeremus. Eremus itaque Camaldulenſis ab ipſo fundationis ſuæ principio in hunc vſque diem, in ſua primæua inſtitutione, iugi perſeuerantia, conſtantiſſima mirabiliter per-

 manſit,

mansit, immò cursu temporis magis ac magis adaucta, roborata, atque stabilita dignoscitur. Monachorum verò institutio per varios status decursa: hodie tandem in certam, eamque obseruantissimā cōgregationem redacta, maximè floret: & in dies monasterijs, & alumnis mirum in modum augeri dignoscitur. Diximus superiùs Romualdum ante obitum suum in symbolum vnitatis, suis commune insigne reliquisse, quo vtraque familia Eremitica, & Cœnobitica perpetuò vteretur: nomen verò, quo eius communis religio nominaretur, minimè reliquisse: neque (quod mirum est) superioritatis, regiminisve auctoritatem alicui locorū dedisse, aliqua scriptura comprobatur. Nam illa, quæ apud Rodulphum est subiectionis constitutio, vltra Fontisboni habitatores non extenditur. Quam ob rem constitutionum Camaldulensiū auctor in suo procemio tacitè miratur: vnde factum sit, vt religio hæc Camaldulēsis vocetur: cùm Eremus, inquit, nec primitùs ab ordinis auctore ædificata, nec in ea diutiùs, quàm alibi vixerit, nec in

ea

ea diem clauſerit extremum. Vnde ſine tergiuerſatione verum eſſe crediderim, quòd nobis audientibus, aliquando venerabilis quidam monachus Caſſinenſis retulit. Is namque affirmabat ſe olim legiſſe ſcripturam quandam antiquiſſimam, in qua Vrſeoli, & Grandenici fiebat mentio, inque eadem ſcriptura, Diui Romualdi Fratres, Romualdinos, non Camaldulenſes vocari. Soluunt quidam dubitationem hanc, dicentes, Camaldulenſem Eremũ ſanctitate, integritateq́;, & Eremiticarum conſtitutionum ſtricta obſeruantia, & nomen, & principatum totius religionis promeruiſſe. Ad cuius rei veram cognitionem operepretium eſt ſcire, primos illos Eremitas, quos ſuprà memorati ſumus, primam illam Romualdinam prolem, patre orbatam, & quaſi orphanam factam, parum profeciſſe. Nam ſine capite, ſineque rectore pauperes illi, Romualdo defuncto, remanentes, magna illius ætatis bellorum turbatione ſubſecuta: quibuſdam eorũ decedentibus, vel diſcedentibus, alijs verò ad monaſteria, ad ſuosq́ue monachos

(quod illis licitum fuerat) transeũtibus, breui tempore defecerunt: quorũ Eremitoria à multis seculis, non solùm derelicta, sed etiam diruta iacent. Ideòq; ex omnibus Eremis ab ipso fundatore conditis, sola Camaldulensis integra, & florens superfuit: indiesque solitariorum numero accrescente, atq; vigente in ea rigidissima obseruantia, in maiori reuerentia, seu auctoritate ab omnibus tùm monachis, tùm secularibus habita est. Siquidem venerabilis Petrus Daguinus, quem Romualdus abiens, ibidem præpositum reliquerat, & quatuor eius obediẽtissimi socij, perinde optimi magistri præceptis inhæserant, vt facilè diceres vnumquenque eorum, præceptoris sui (quemadmodum olim Eliseus) spiritũ retinuisse. Manebant omnes pariter in innocentia sua, erat eorum omnium cor vnum, & anima vna, peregrinos hilariter recipientes, & cũ interna iubilatione refouentes: tribulatos, qui ad eos confugiebant, blandis, ac spiritualibus verbis consolantes. Deinde rerum penuriã, loci angustias, & asperitatem, corporis

denique

denique nuditatem, non ſolùm ſufferre, ſed etiam gaudentes amplecti viſi ſunt: manuum labori incumbentes, de fructu operum ſuorum victitabant: nunc ſarculo fodere terram, nunc lapides ſcindere, & materiam ad opus ſtructuræ præparare. Rurſus iunco, ſeu vimine texere fiſcellas, cochlearia polire, ſcyphos ligneos, & alia vaſa torno, ſeu adunco ferro conficere: tandem nulla tẽporis pars otio reliqua erat. Pręterea erant in oratione feruentes, amabant prolixas vigilias, crebris ieiunijs corpora macerantes: biduana, & triduana in hebdomada, in ſolo pane, & aqua, celebrantes: reliquis diebus vnico pulmento contenti; in quibus ad finem vſque erant perſeuerantes. Nec his quidem acquieſcentes, poſt Paſchalem ſolẽnitatem, Quadrageſimas (vt eiuſdem cohortis quidam ſtrenuus miles ſcriptum reliquit) animo intrepido celebrabant. Tales vtique extitere precioſi lapides, quibus ſuper ſacra Camaldulenſis Eremus fundata ſedet: quibus in ſanctitatis vita, ac perfectionis ſe aſſiduè exercentibus, tantùm ſplenduit,

ac dilatatum eſt nomen Camaldulenſe: vt nõ Hetruſcis modò hominibus luceret, verũ etiã è longinquis nationibus illuc mortales certatìm confluerẽt. Vnde non pauci tùm nobiles, atque illuſtres, tùm vulgares viri Spiritu ſancto afflati, reiectis ſecularibus curis, omnibusq; renunciantes, Euangelicum cõſilium ſecuti, monaſticum habitum de manu Petri ſuſceperunt. Non equidem quale depingit quidam ſomniaſſe Romualdum, ſed vile, & abiectum, quo vti verè pauperes ſolent. Quorum multi ſe, & ſua Deo vouentes Eremum ipſam temporaliũ bonorum donis non mediocriter locupletarunt; quibus auxilijs magnum accepit incrementum. Hæc itaque ſanctitatis tanti loci vulgata vbique terrarum opinio, hæc religioſa illorum ſanctorũ Eremitarum conuerſatio, illa rerum temporalium proſperitas, ac ædificiorum dilatatio, magnam ſacræ Eremo acquiſiuit auctoritatem. Quam reliqui Romualdini, ac præcipuè Monachi, qui adhuc ſine capite, ſine duce, ſineque ordine, vel regimine aliquo (quaſi oues errantes) manebant

nebant

nebant distracti : sano quidem consilio, prudentique deliberatione propriũ cõmodum tàm spirituale, quàm temporale animaduertentes, libenter, & honorificum Camaldulense nomen susceperũt, & societatis dexterã Eremitis dedere. Atque sanctè postmodum considerantes Priorem sacræ Eremi verè personã sanctissimi Patris Romualdi vbique repræsentare : ideoque eidem tanquam principali, seu digniori religionis prælato, sponte sua se subdidere regendos : eandem insuper Eremum in caput, & Asylũ totius ordinis simul vnanimes constituẽtes. Quod tamen nemo existimare debet statim post mortẽ Romualdi factũ; nõ enim illico emicuere Camalduli virtutes; neque (vt quidam rati sunt) hunc Eremi principatum per quandam consuetudinem, atque conniuentiam aliorũ introductum, dici debet : cùm neque per lustra quatuor, neque sine debito tractatu id ipsum fieri potuerit. Dicendum ergo est, à principio iustam conuentionẽ inter Monachos, & Eremitas interuenisse, & omnia fuisse sapienter tractata,

& de cõmuni omniũ cõſenſu conſtitutũ, atque concluſum. Nec refert, ſi de conuentione hac inſtr̃m nõ appareat; facilè enim ſcriptura perit. Et tunc primùm poſt huiuſmodi conuentionem approbata, & confirmata extitit à ſancta Sede Apoſtolica ſub nomine Camalduli tota hæc religio per Leonem Nonum Pontificem, qui fuit circa annum M L. & Nicolaum Secundum, eius ſucceſſorem; necnon Alexandrum Secundum, de cuius confirmatione, ac priuilegio etiam hodie conſtat reſcriptum: in quo multa monaſteria ſubiecta Eremo expreſsè nominantur, qui fuit circa annum M L X X. Et ſic poſtmodùm in hunc vſque diem religio iſta ſub huius ſacri nominis auſpicijs iuſtè, ac ritè ambulauit. Præter hæc abundè probari videtur aſſertio noſtra in priuilegijs Ottonis IIII. Henrici VI. Caroli IIII. & Sigiſmũdi, Imꝑatorũ: In quibus expreſsè Eremo ſacræ tanquã capiti totius religionis cõfirmantur Imperiali auctoritate quadragĩtaquatuor Monaſteria, Eccleſiæ quadraginta, & Caſtella duodecim ſibi iam olim ſubiecta.

cta. Nec desunt aliæ multæ, diuersisque successiuis temporibus, atque à varijs Pontificibus emanatæ Apostolicæ confirmationes hoc ipsum attestantes: quas hìc referre, superuacaneum, atque molestum nimis foret. His igitur consideratis, rectè in Proœmio Constitutionum scribitur, Priorem sacrę Eremi, siue Eremita, siue Monachus fuerit (quia alternatìm assumere consueuerunt) eadē electione, nō quasi noua dignitate, sed proprio iure totius ordinis Generalem Patrem, ac Rectorem semper, ad nostram vsque ętatem, habitum fuisse. Quo & nouissimo, amplissimoque priuilegio Leonis Decimi plenissimè cōfirmatū extat. Magna ergo laude meritò extollēda est Eremus sacra, quæ tam optimum initiū habuit; quæ tàm fortes, ac cōstantes cultores semper aluit: qui per tot secula, cōtinua successione primum sanctorum Patrum suorum institutum, inconcusè custodierunt; Petri Daguini, & sociorum vestigia pertinaciter calcātes. Quæ, obsecro, est in orbe terrarum religiosa domus, quę saltem vnaquaque ætate reformatione

matione nõ eguerit? Aut quæ reperitur Monachorum familia, in qua aliquando innouare aliquid, mutare, aut corrigere non fuerit necesse? Sola equidem Camaldulensis Eremus per annos quingentos & sexaginta immobilis, constans, fortis, & integra in sua primæua institutione iugiter perdurauit. Vnde omni encomio digni videntur eius successione filij, qui vsq; in finem in solida arrepti semel propositi obseruatione perstiterunt. Ideoque licèt in terris obscuri visi sint, atque abiecti, in cœlis tamen tanquàm lucidissima astra micant; quorum numerus præ multitudine, nobis innumerabilis factus est, & nomina incognita; quæ nihilominus in libro vitę scripta manẽt, Deoque benè sunt nota. Et quia omnes humiles, ac mites, deuoti, feruentesque in ieiunijs, & cilicijs castigantes corpus, ac iugi orationi Dei intendentes, vitam transegerunt; ideò nunc inter filios Dei computati sunt: nimirum Christi vestigia insecuti, eius cohæredes facti, modò in cœlis cum ipso gloriosè triumphant.

DE INITIO, ET AVGMENTO Monachorum Camaldulensium. Cap. XIII.

RATIO ipsa postulat, ne quid lectori scitu dignum desit, & ne historiæ tela alicubi abscissa, truncatave appareat; vt quemadmodum Eremitarum gesta, fœlicemq; prouectum vtcunque demonstrauimus; ita nunc congruenti loco Monasticam beatissimi Romualdi familiã, qualiter à sua origine ad nostra vsque tempora, processisse, ostendamus. Non enim silentio præterire oportet, laudabilem, ac semper venerandam eorum congregationẽ, quæ vbique cum maximo Dei honore, Ecclesięq; catholicæ laude, necnon sanctissimi fundatoris sui gloria se habuisse dignoscitur: quæque nunc maximè inter alias religiosorum cohortes, nõ minus Cœnobiorum augmẽto, Monachorumq; multitudine, quam sanctæ obseruantiæ custodia floret. De qua sanè (vt verum fatear) pleniorem tractatum me daturum, fusiùsque eius laudes prosecuturum,

turum, apud me ſtatueram : verùm cùm nuper omnia, quæ ad ipſam pertinent, venerabilis vir Auguſtinus, eiuſdem congregationis digniſſimus Monachus, in ſua vulgata hiſtoria, eleganti ſtylo, ſit abundanter complexus : ideò nos ea tãtùm, quæ iuſtam, eamq; breuem cognitionem legentibus tribuere ſufficiant, quæq; ad noſtrum inſtitutum facere videantur, obiter perſtringemus. Neque enim Monaſticã, ſed Eremiticam, eãque CORONENSIS Romualdinorum ſocietatis, ſumpſimus deſcribendã. Satis igitur plenè ſuperiori capite tractatum eſt, ex eodem fonte Eremiticam, & Monaſticam noſtri ordinis ortam eſſe inſtitutionem ; atque adeò quomodo ſemper vnitas ab initio fundationis ſimul ambulaſſe, apertè explicuimus. Nunc verò monendi ſumus, Monaſteria ab ipſo Patre noſtro Romualdo erecta, parua valdè, & ipſa pauperrima extitiſſe : erant & ſitu nimis aſpera, à populis valdè ſemota : in arduis ſcilicet montibus, profundiſſimiſque vallibus, & inter denſiſſimas ſyluas fundata. Nimirũ ſanctiſſimus vir,

rigidi-

rigiditatis, ac omniũ rerũ penuriæ perpetuus amator, nunquã mollia, ſeu carnali cõcupiſcentiæ cõmoda loca, opportunitatesve quæſiuit. Nihilominus fideliſſimi diſcipuli, tanti patris, tamque pij præceptoris memores, per multorũ annorũ curricula, vim ſibi inferentes, conſtanter in eiſdẽ locis, & Monaſterijs permanere enixi ſunt: & ſemel ſuſceptã magiſtri diſciplinã viriliter adimplere non deſtiterunt. Atqui interim cùm propter ipſorũ locorũ incõmoditates, quæ non leues occurrebant, tùm quia neceſſaria ad victũ cibaria non ſuppetebant, nec facilè poterant ex tàm longa populorũ diſtantia parari: tùm etiã quia parua ædificia, numeroſæ, ſeu ſufficientis ad Cœnobiticã obſeruantiã familiæ erant incapacia; multa corporis ſimul, & animi detrimẽta paſsi ſunt ſtrenui Dei milites. Adde quòd paſsìm vel ab ipſis ruſticis, vel à graſſatoribus, qui in montibus libenter latitant, duriùs, varijsque modis vexabantur: nec locorũ ſolitudo tot malis ſine difficultate permittebat obuiare. Hæc itaque nimia locorũ rigiditas,

ac necessariorũ defectus in causa fuit, vt paulatim humana habitantium fragilitas, horrida illa habitacula abhorreret: & quę sub tanti patris, optimique pastoris custodia, & cõuersatione humili gregi placuerant caulæ, eo defuncto, displicere cęperint. Adde, quòd deficiẽte Romualdi resplendentissima præsentia, nõ ita ad eius mapalia currebant oues: non ita, inquam, deuoti homines deserta petebant. Accedit ad hæc cõmunis totius Italiæ illius temporis immanissima bellorum tempestas, schismatũ deplorãda lues, atq; crebra ciuitatum seditio; quibus perinde vniuersæ eiusdem Italiæ regiones turbatæ sunt, vt extra vrbes, munitave oppida, statio tuta minimè daretur. Vnde tantorum malorum ingluuie, territa Romualdina proles, nec vtiq; tot incõmoditatibus agitata obseruantiam regularem adimplere potens; ampliora, atque cõmodiora loca quærere, vel coacta cępit. Data denique à fidelibus opportunitate, ac meliori fortuna aduenięte, meliora quoque loca petierunt: paulatimque vel in vrbe, vel in suburbanis

Cœno-

Cœnobia ſiue iam erecta acceptare, ſiue de nouo erigere non diſtulere. Nimirum ita factum eſt, vt relictis montium anfractibus, iuxtà, vel certè intra vrbes, ſuas conſtituerint habitationes. Quod profectò non ſine prudentiſſimo cõſilio, ac diuina inſpiratione actum putare debemus: cùm ſatiùs multò ſit in planicie rectè ambulare, quàm in procliui cespitare, deque caſu periclitari. Præterea, nemo eſt, qui neſciat, regularem obſeruantiam non in aſperitate loci (quemad modum Eremiticam) neque in rerũ penuria conſiſtere; quæ potiùs in ſanctitate morum,& diuini cultus pia,ac deuota frequentatione ſita eſt: immò prudentũ ſententia creditur, religioſam obſeruationem loci cõmoditate,& alimoniæ ſufficientia iuuari. Iam igitur idonea loca nacti Camaldulenſes monachi, non ſegnes, ſed ſtudioſiſsimi ſui inſtituti obſeruatores deprehẽſi,omniſque perfectionis veri æmulatores ab omnibus cogniti,magnum ſanctitatis foras effundebãt odorem.Qua ſanctimoniæ,inconcuſſęq; obſeruantiæ fama vulgata,cęperunt Impera-

pera-

peratores, ac Reges, alijq; Principes nõ ſolùm antiqua monaſteria noſtris cõferre, verùm etiam ad noua condenda, magnifica liberalitate, ac largitate vti. Nec ſanè in hac parte minus officioſi fuere ſummi Pontifices, qui florenti, ac feruẽti gregi ſuo, quò magis in dies augeretur, auxilium, & opem ferre non ceſſabant: ideoq; multa, ac magna monaſteria huic congregationi olim à Sede Apoſtolica data leguntur. Attamen ne veritas occultetur, & laus ſua cuique tribuatur; opere pretium eſt ſcire, prædictas Cœnobiorum, Eccleſiarumque largitiones pro maiori parte ſacræ Eremo fuiſſe factas: ſolitosque Patres Eremitas illinc & diruta inſtaurare, & noua erigere monaſteria, necnon de ſuis conuentibus ſelectas familias in illis collocare. Eo tandem modo tantopere aucta, & propagata eſt religio, vt non tantùm Tuſcia, & Aemylia ornata Camaldulẽſibus monachis fuerit, ſed etiã tota propemodũ Italia impleta; nec mora vſque in Galliam Ciſalpinam, Mediteraneasq; Inſulas, Sardiniam, & alias extenderit hæc

vitis

vitis sanctissima palmites suos. Itē Venetiarum præcelsum Dominiū non vno, aut altero Monasterio, sed tribus voluit suam amplissimā vrbem decorari. Reliqua, ne molestus esse cęperim, ex industria prætermittam. Tanta deniq; Deus omnipotens prosperitate, totq; beneficijs familiam istam suam intùs, & foris candidam, prosecutus noscitur, vt inter alias omnes religiosorum congregationes, nescio quid ampliùs sancti decoris habere videatur. In qua vitæ perfectione tanta fuit in ea constantia, seu perseuerātiæ fortitudo, vt per annos quadringentos, aut eo ampliùs, laudabiliter, ac sine macula pręuaricationis processerit, omnibus benè, recteq; viuendi exemplū præbens, & quasi lucerna ardens super cādelabrum posita, omnes, qui hactenus in domo Dei fuerunt, suo splendore illuminans. Postremò, licèt transactis retrò temporibus, multos labores sustinuerit, & eam (Deo sic annuente) suis artibus cribrauerit immūdus Satanas, nihilosecius hac nostra ætate, tanta pace, spiritualique quiete congaudet: tanta rerū

temporalium proſperitate vbiq; potitur, vt nunquã ſanctior, nunquã fęlicior, vel glorioſior eius ſtatus à ſuo principio in hunc vſq; diem apparuerit. Nam prę-ter multitudinem tũ Monaſteriorũ, tùm Monachorum, in ea multi viri nobiles, ac illuſtriſſimi beatè viuunt: innumeri in ipſa ſcientia, ac ſcripturarũ longa peritia florent: &, vt vno verbo dicã, vniuerſa eius multitudo in vera, ac propria ſanctitate perſeueranter degit.

DE REGIMINE, AC SVPREma Religionis huius Prælatura. Cap. XIIII.

QVEMADMODVM ſuperiùs (cùm de excellentia, & virtutibus ſacræ Eremi ageretur) incidenter adnotauimus, ab initio Religionis huius, omne regiminis, ac ſuperioritatis põdus penès Eremitas Camalduli reſidentes perpetuò fuiſſe: ex eo nimirũ quòd omnia Monachorum Cœnobia, Eremi ſacræ tanquã excellenti, & eius Priori, quaſi principaliori prælato, ſeſe iã olim

ſponte

ſponte ſua ſubiecerint. Vnde conſequenter actũ eſt, vt ipſe Prior Eremi ſtatim, vt electus extiterit, ipſo iure abſque alia noua electiõe Pater Generalis, totiusq; Ordinis caput, ac princeps ſit habitus: idq; eodẽ modo in Monacho aſſumpto (alternatim enim aſſumebantur) queãdmodũ in Eremita electo, ſine exceptione aliqua obſeruabatur, ita vt ſimul Eremi Prior, & Generalis ſit nominatus. Quę laudabilis conſuetudo vſque ad noſtra tẽpora inuiolatè continuata extat: nec moror, ſi nuper hac de re aliquid parui momenti innouatum ſit, quod rei ipſius ſubſtantiam non lædit. Neminem autẽ latere debet, olim huiuſmodi Priores Generales perpetuos, hoc eſt, in vitã fieri aſſuetos, nunc verò ad trienniũ creari, alternatim in eligẽdo, vice vbiq; ſeruata. Fuiſſe quidẽ Religioni huic Generales perpetuos quadragintaſex, quidã diligenter adnotarunt: quorum primus, Sanctiſſimus Pater Romualdus, Ordinis Fundator: vltimus verò Petrus Delphinus Venetus, monachus; de quo plura nobis ſuis locis dicenda reſtant. Inter hos

nonnulli fuere sanctitate perspicui, alij scientia præclari, multi regiminis peritia egregiè ornati: qui omnes frugi fuerunt,& religioni vtilissimi, vigilantes pastores,ac rectores discretissimi:quod satis probare videtur perpetua, quam diximus, totius Ordinis perseuerantia, ac propagatio. Veruntamen præcipui eorum, & qui cęteris præluxerunt, Petrus Daguinus, primus post Romualdum Eremi Prior: Rodulphus, qui primas constitutiones Eremiticas composuit, & ipsius Religionis exordia in scriptis redegit, quem libellum cõpilationes ei placuit appellare: Martinus tertius, qui beatus creditur,propter vitę sanctitatẽ, & in religiosis statutis ferẽdis reputatus insignis: Gerardus secundus diligens,ac peritus constitutionum lator. Item Bonauentura, qui prædecessorum suorum omnium scriptas institutiones ad quintum vsque librum non incongruè dilatauit. Sequitur Ambrosius monachus Florentinus; hic doctrina,linguarumq; peritia, omnes prædecessores suos longè præcelluit: reliquit scripta multa, vel à

ſe inuenta, vel à Græcis tranſlata, quæ hominis ingenium, animumq́; ſatis clarè detegunt, atq; demonſtrant. Vltimus itaque perpetuus Generalis (ſicuti dictũ eſt) Petrus Delphinus monachus, & Abbas Sancti Michaelis Murani, qui anno MCCCCLXXX. Eremi Prior, Ordinisq́ue totius Generalis electus eſt; vir ſanè natura bonus, & prudens; & licèt corpore parum venuſtus, animi tamen pulchritudine ſpecioſus erat; benignus, & affabilis valdè, literarum egregiè peritus; lingua potens, ac Religionis vnicè amator: idq́ue multorum teſtimonio, multisq́ue eiuſdem, & aliorum monumentis comprobatur. Huius pijſſimi viri prælatura & diuturna fuit, & multorum laborũ plena: inuenerat ſiquidem ſtatim ingreſſus, non pauca in Religione ſua, quæ nomen Camaldulenſe nequaquàm decebant: ideoq́; ille eadem ęquo animo ferre, aut cum dedecore dignitatis ſuæ diſsimulare nunquàm valuit. Permiſerat etenim Deus, ſiue peccatis hominum exigentibus, ſiue quia inde maius bonum (prout reuera contigit) naſci oportebat, poſt

longam tranquillitatem, vel aliquantulã oriri in Religione tempestatem: quo nimirum nauicula Camaldulẽsis fluctibus agitata, exemplo Apostolorum disceret auxilium à Dño postulare. Erant in Religione ista (sicut & in alijs multis) iam ab antiquo quædam monasteria conuentualium, quorum reliquiæ vsq; ad Pij V. Pontificatum (qui eos penitùs extirpauit) permansere. Ij in tantum multiplicati dicuntur, vt bipartita in obseruantes, & conuentuales Religio ipsa videretur: quorum Prȩlati non pauci perpetui, & monasteria eorum proprijs, ac multis priuilegijs suffulta, priuatis legibus, singulariq; modo singula & viuere, & regi inchoauerant. His tamen non obstantibus, cum obseruantibus simul cõuenire, superioribus magistratibus obedientiã præstare, & ipsi ad regiminis prȩlaturas quoque assumi consueuerant. Attamen Delphini temporibus multi eorũ & subiectionis antiquæ iugum excutere, ac liberius agere pertentabant: nec vereban tur ad ea, quȩ super eos erant, manus extendere. Mala autem, & incõmoda, quæ
inde

inde tàm Eremitis,quàm monachis obſeruantibus euenerint, Venerabilis Auguſtinus pleno ſtylo recenſet: nos verò ea conſultò præterimus.Ex quibus multis vnum nobis adnotaſſe ſufficiat: quòd ſacra Eremus,quę ſemper integra in ſua ſimplicitate permãſit,quęq; tũc propter inſtantem neceſsitatem frequentiùs orationibus, alijsq; pijs exercitijs vacabat, nulla terrenorum attendens diſpendia, multa ſacerdotia, ac monaſteria amiſerat: &, vt in prooemio priuilegij magni Leonis X. legitur, caput Religionis iam penè deſierat haberi, nec ſui ipſius quidẽ patrimonij abſolutã retinebat adminiſtrationẽ, quæ ad alienos (neſcio quo fato) tranſiſſe perhibetur. Veruntamen hìc,cũ iſta audis(candide lector)noli mirari;ſed obſtupeſce potiùs miſericordiã & bonitatẽ Dei, qui haud multò pòſt dignatus eſt, ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iudicia Dei ſunt hæc; noli inquirere ea: nam,teſte Apoſtolo,incõprehẽſibilia ſunt: & per Prophetã,abyſſus multa dicuntur:noli ſcrutari,cur hęc permittat Deus:quis enim nouit ſenſum

Domini? aut quis eius consiliarius fuit? Vides tu nunc inter spumātes vndas nauiculam hāc iactari; expecta parumper, & cernes tranquillum mare, & nauim in portu, pace summa, spiritualiq; gaudio plenam, atq; multis, magnisque piscibus onustam. Etenim tāta, & talia hinc orta sunt bona, qualia nunquàm excogitasset homo. Oportet (inquit ille) hæreses esse; vt, qui probati sunt, manifestentur in vobis. In summa, si magna nauis vniuersalis catholica Ecclesia passim stridētibus vndis fluctuari cernitur: quæ admiratio est, si paruulæ eius scaphæ fluctibus aliquādo vel modicū agitētur? Nūquid discipulus supra magistrū, aut seruus maior erit dño suo? Sed iam vnde digressi sumus, reuertamur. Interim, dum sic aberrant oues, pastor gregis Delphinus grauissimis curis premitur, suorum filiorum semper solicitus, domusq; suæ vbiq; curam gerēs. Cuius labores, dum deplorat Eusebius Priolus dignissimus Abbas, talia verba elegāter profert. Proximè applicuit animū, vt Religio hæc nostra in vnum corpus conglutinaretur: videbat

enim

enim ordinem hunc turpiter dilaniari, monasteria in dies defici, & varia incōmoda pati: nec quomodo illis se pro muro opponeret, satis sibi constabat: siue tēporum iniquitate, siue hominum defectu id ipsum euenerit. Non lassabatur bonus pastor, quin crebris literis, ac nūcijs ouilibus suis auxilio præstò esset: & vt res pro voto illi succederet, sumptibus non parcebat. Adire summos Pōtifices, Cardinales, Duces, atq; Senatus ꝓ amissis monasterijs redimendis, proq; cęteris conseruandis sæpissimè haud veritus est. Et post multa: Tandem, inquit, quoties tædio affectus dignitati abrenūciasset, nisi Senēsis Cardinalis suus obstitisset? Plures deinde hac de re conquerentes per eundem Delphinum habitæ sunt (etiam apud summos Pontifices) orationes; atque ad varios Cardinales, Principesq; descriptę epistolæ: quas in eius eleganti epistolarū volumine videre licet. Ad hæc igitur mala tollenda per annos multos laborauerat ille, sed in cassum ibant labores eius: immò quò magis remedijs adhibendis nitebatur, eò magis

plaga

plaga videbatur intumeſcere: adeò vt de omni remedio bonus ſenex deſperaret. Poſtremò, cũ prædicta mala pateretur ſacra Eremus, & in tanto dignitatis ſuæ diſcrimine verſaretur: clamantibus miſeris, ad Deumq; ſuas querelas mittẽtibus Eremitis, non diſtulit Altiſſimus opportunum eis mittere auxilium. Nam ecce tũc diuino ſpiritu afflatus, magniq; Delphini confortatus conſilio (meritis beatiſſimi Romualdi ſic exigẽtibus) Camaldulum venit Eremiticum habitũ ſuſcepturus Clariſſimus vir Thomas Iuſtinianus Venetus. Quem ſanè nõ minimũ, ſed præcipuum inſtrumentũ ad tantam ſciſſuram reſarciẽdam fuiſſe, compertũ eſt. Cui minimè difficile extitit conueniens remedium intentare, vtpotè qui literarum doctrina pollens, & Principũ, magnatumq; familiaritatibus fuerat aſſuetus. Quis autem, & qualis Iuſtinianus iſte fuerit, quantus inter Eremitas ipſos ſit habitus, quãtumq; Religionem iuuerit ipſam, ſequenti libro pleniſſimè tractabitur.

Finis Primi Libri.

RO-

ROMVALDINÆ, SEV EREMITICAE MONTIS CORONAE CAMALDVLENSIS ORDINIS HISTORIÆ.

Liber Secundus.

BEATI PAVLI IVSTINIANI ortus, & iuuentutis ſtudia. Cap. I.



Avlvs Iuſtinianus Eremita Camaldulenſis, ac fundator ſocietatis Eremitarum ſancti Romualdi Montis coronae: cui ante ingreſſum Religionis nomen erat Thomas: Venetijs anno ab orbe redempto mcccclxxvi. ex præclara Iuſtinianorum familia natus eſt. Patrem habuit Franciſcum Iuſtinianum virum patritium, atque ab ampliſſimo Senatu, ob inclyta geſta equeſtris ordinis, militiæq; inſignijs magnifice

ficè decoratum: matrem verò Paulam de Maripetris, matronam nobiliſſimã, ambos Chriſtianæ pietatis maximè cultores. Qui ab incunabulis ipſis magnum futuræ virtutis ſpecimen oſtendere cœpit: eò præcipuè, quòd ſola literaria tabella delectari ſolitus, vix fari peritus, elementa cuncta nouerat ordinatè pronunciare. Pueritiam autem in Grammatices rudimentis, ac Retorum figuris, ita grauiter conſumpſit, vt nondum pubes diſertiſſimus euaſerit Orator: hinc latinis Græca coniungere ſitiens, perinde ſe in eo ludo exercuit, vt non facilè diſcerneretur, latina ne, an verò Græca lingua in eo excelleret magis. Hæc dum domi paternæ agerentur, mirabantur domeſtici omnes, & in ſtudijs diligentiã, & in factis pueri innatã modeſtiã: & quãuis natura hilaris, facetuſque dignoſcebatur, attamen cum diſcreto ſilentio, ſtudebat grauitati. Foris cum coætaneis pueris, & modeſtè ludere, & aliorum moribus, honeſtate ſeruata, ſeſe accommodare, non dedignabatur. Hoc certè in puero meritò diuinum exiſtimatum eſt,

quòd

quòd nunquàm lectulum aſcendere, aut inde deſcendere viſus eſt, quin genibus flexis, deuotè aliquantulum oraret: cibum capere manè, re ſacra non audita, nunquàm ei perſuaderi potuit. Parentibus obedientiam, magiſtriſque reuerentiam: fratribus,& cęteris omnibus gratum officium perpetuò libens præſtabat. His demum naturæ,virtutiſque dotibus præditus erat, vt futuræ virilitatis miranda opera clarè pueritia ipſa præmonſtraret. Quam ob cauſam multi nõ imprudenter conſiderantes, in eũ, illud Euangelicum retorquebant:Quis putas puer iſte erit? Decimo ſeptimo ætatis anno, iam vtroque parente orbatus, nõ laſciuientibus iuuenibus,vt fieri ſolet, ſe miſcuit: non ſimilis ætatis delitijs ſe dedit: ſed potiùs domo,patriaque relictis, à Clariſsimis fratribus,atque dilectis ſororibus (habebat enim ſex, & fratres duo) diſcedens, Patauium ſe contulit. Vbi per annos vndecim & Philoſophicis,& Theologicis, in florentiſsima, totoque orbe celeberrima Achademia, ſtudijs ſedulam nauauit operam. Ita autem

tem ſcientijs perdiſcendis animũ applicuit, vt à virtutibus exquirendis nuſquã auerterit: vitia fugere, frugaliter viuere, tempus ſtudioſè redimere ſemper intentus. Eam tandem doctrinam ſibi iuuenis comparauit, vt nulli ætatis ſuæ vel doctiſſimo viro extiterit ſecundus: cuius rei nobis ſatis plenum teſtimoniũ perhibuit Delphinus libro Epiſtolarum decimo, Epiſtola quinta ad eundem, in hæc verba: Omni tempore, inquit, futura eſt tibi ſolatio diuina lex, meditanti in ea die ac nocte: nunc ad latinos, nunc ad Græcos Doctores conuerſus, atque alternis oblectatus congreſſibus, vel vtiliſſimè, vel iucundiſſimè diſponas otium. Idem teſtatur eod. lib. ad Cardinalẽ Volateranum ſcribens. Verùm cùm de eius documentis (quæ multa ſcripta, & nonnulla vulgata reliquit) agetur, pleniùs eius ſtudia demonſtrabuntur. In ipſo ſtudiorum ſuorum fœliciſſimo curſu multos habuit Paulus officioſos, ſummaque amicitia coniunctos ſocios: quorum tamen præcipui extitere doctiſsimus ille Paulus Canalis, & Gaſpar Contarenus

vir

vir nobilissimus, & posteà S.R.Ecclesiæ meritissimus Cardinalis. Verùm inter omnes Pauli amicos primas semper tenuit Vincentius Quirinus & ipse patritius, qui deinde tàm dilectum sodalem secutus, Eremita factus est; quique Romæ Cardinalis designatus, licèt nondũ insignitus, fœliciter obdormiuit in Domino. De quo infrà latior fiet mentio.

PAVLVS IN PATRIAM REuertitur, ac dotes corporis, & animi prænotantur. Cap. II.

PATAVINIS itaque studijs debito tempore relictis, vigesimũ octauum ætatis annum agens, domum reuertitur; non minori virtute, quàm doctrina imbutus. Et quãquàm nobilitas sanguinis, ac scientiarum ornatus elationis fomentum ministrabãt: nihilominus ipse & inter æquales seruato decoro, semper mitis, & apud inferiores benignus apparuit. Hinc animos omnium ad se trahere, cunctos beneuolos sibi facere, amicitia coniungere, ac populi

populi reuerentiam comparare. Erat quippe animo facilis, ingenio clarus, aſpectu affabilis, ſermone blandus, & cũ grauitate iucundus. Quibus ſanè & corporis delineamenta, per omnia correſpondebãt: nam eius ſtatura mediocris, corporis plena habitudo: erat facie venuſtus, grauis inceſſu, ac viribus robuſtus: per quæ exteriora ſigua, animi quoque celſitudo deſignabatur: nec ſinebãt diuini ignis portionem in pectore latentem cernentibus occultari. Delectabatur frugalitate victus: gulæ, & ebrietatis maximus oſor; ſicut ſobrietatis, ac parſimoniæ impenſe amator. Inter omnes autem eius virtutes, modeſta taciturnitas, diuinumq́ue ſilentium mirabiliter præluxit: eoq́ue libenter remota habitare loca, domeſticorum colloquio, librorumq́ue lectione contentus, aſſueuerat. Vnde inter familiares, & amicos, hoc frequentabatur dicterium: Thomæ Iuſtiniano (ſic enim appellabatur) cubiculum cum pane ſatis eſt. Si quando domo egreſſus animi iuſtam recreationem quærebat; non per vicos, & plateas, va-
gabundo

gabundo similis oberrare; sed Ecclesias, Religiosorũ Cœnobia, aliave pia loca visitare, magis placuit semper. Præthereà, lasciuas iuuenum conuersationes cautè declinans: maturis, ac sensatis viris, consilio, atque honestate pollẽtibus, auidissimè vsquequaque adhæsit. Quibus prudenter consideratis, multi aut filios, aut alios familiares, cognatosve suos dissolutioni deditos obiurgantes, illicò Thomæ Iustiniani exempla in medium proferebant, typum virtutis eundem appellantes. Iam cùm multi ex nobilioribus eius amicitiam modis omnibus venarentur, non omnes ille admittere, sed paucos admodum studijs, ac moribus sibi consimiles elegit. Qua quidem in re stupendum ei semper fuit iudicium: neq; vnquàm aliquem in amicũ habuit (quos suo loco recensebimus) qui aliqua præclara virtute non eluceret. Rursus fratres, & cognati eũ hortabantur Palatiũ frequentare; Senatorũ animos, auresq́; (vt fieri consueuit) demulcere; atque ad publica munera, quæ in illa Republica multa, & amplissima sunt, obeunda, aspi-

 raret.

raret. At noſter Paulus longè ſe aliter ſentire, & potiùs fugienda, quàm amplectenda eſſe; labores eorum, qui talibus funguntur, conſiderandos, & animarum detrimenta, in huiuſmodi negotijs, ponderanda, reſpondebat. Item deſiderabilem animi quietem ſolicitè quærere; pium, iuſtumq; otium, omni curioſo cõmercio reiecto, ſequi ſatiùs eſſe: necnon damnoſam corporalium rerum ſolicitudinem, cum vtiliſſima ſpiritualium delectatione ſagaciter eſſe permutandam. Attamen cùm noſtri corruptiſſimi ſeculi deplorandus ſtatus ita ſe habeat, vt ſalutaria quæq; difficilè ſuaderi queãt; & inter ciues, notosq́ue noſtros piè viuere, non ſatis liceat: cùmq́ue res humanæ ita videantur compoſitæ, vt qui ſanctitatis opera inter ſuos exercere velit, exoſus fiat; inde citiùs recedere cogitauit. Domum igitur, ac ciuium frequentiam fugiens, in ſuburbanum (cui Muranum nomen eſt) cum ſola librorum ſuppellectili, receſſit. Vbi in remota, propria tamen domo, ſatis ſolitarius, quemadmodum ipſe in Epiſtola

quadam testatur, prout optabat, tribus annis vixit.

PAVLVS STVDIA MVTAT, & Hierosolymam proficiscitur. Cap. III.

DVM sic ab omni seculari strepitu segregatum se videt Paulus, noua aggredi studia, quæ scilicet, nõ seculi rebus, sed spiritui prorsus conducant, animo statuit. Atque in primis se optimo, peritoque confessario visceribus patefactis penitus tradit; cuius consilio cuncta se facturũ, proprięq; voluntati, quæ sæpe sensus nostros peruertere solet, iam tunc renunciare, firmiter proponit. Futuri autem operis hoc fuit stabile fundamentum. Temporis cuiusque diei diuisionem facere, vt futura exercitia, iusta distributione procederent; ne posteà subsecuta confusione, laborũ fructus impediretur. Deinde exercitia ipsa, quæ assumenda proposuerat, inchoare non distulit. Manè ac serò, eorum quæ noctu diuque acciderant, stri-

cta fiebat discussio; literarijs studijs certa temporis parte assignata, quod reliquum fuerat, totum orationi, ac meditationi cedebat. Veruntamen quia in his duobus hactenus parum, aut nihil versatus erat, vtpotè totus in quæstionibus scholasticis, lectionibusque varijs occupatus, magno labore, vel modicum proficere poterat. Nitebatur nihilominus nouus tyro & mentẽ erigere, & fluctuantes cohibere sensus. Repugnantem carnem flagellis, cilicioque domans: necnõ moderatis ieiunijs, carnales appetitus refrenans. Sed ecce, vt incipiẽtibus euenire solet, insurgunt perturbationum cogitationes pessimæ, immissiones scilicet per angelos malos. Adde quòd quasi in Aegypto confusionum positus, linguam, quam non nouerat, audiuit: afflictiones nempè spiritus, quas nunquàm expertus fuerat: nec sine magno labore nouæ artis principia superare valuit. Dum in hoc genere vitæ non infrugiferè perseueraret; accidit aliquando, vt dum salutiferam Christi passionem meditaretur, loca ipsa mente considerando discurre-

ret.

ret. Hìc,nimirum,factus in agonia patrē orabat Iesus: hic reliquerat Apostolos sanctos: hìc Petrus, & Ioannes cum Iacobo, seorsum dormiebant: hìc Iudas proditor osculum dedit beneuolo magistro: hìc cecidere retrorsum perfidi ministri: hìc comprehenderunt Iesum:hac via ligatum funibus trahebatur: hæc est Annę domus,quò ductus est primùm,vbi alapam accepit: hæc Caiphæ Pontificis habitatio,ad quem posteà missus est: en tibi Pilati prætorium, vbi flagellis, & alapis crudeliter cęsus, & inde foras extractus, nudus, plagatus, cum spinea corona populo ostensus est: en palatium Herodis, vbi illusus, & ad Pilatum inde remissus. Hìc crux ponderosa suis humeris imponitur: hac porta onustus vrbe egreditur: hac via in Caluarium vadit: hìc Simon Cyrenęus angariatur: hìc ad mulieres lugentes consolandas conuertitur. Ecce locus Caluariæ: hìc cruci affigitur, affixus extollitur, pendet in ligno iustus,& moritur. Deponitur,& ecce sepulchrū, in quo sepelitur, ex quo etiam gloriosè resurrexit. Hæc, & alia

multa ſimilia, dũ mente pertractat Paulus, tanto deſiderio Hieroſolymam peregrinandi affectus eſt, vt nullo modo ab eo, donec effectum eſt, euelli potuerit. Cumq; per annum, aut eò amplius rem differens; ex Deo ne ſpiritus iſte foret, diligenter examinans; atque in dies magis ac magis in propoſito cõfirmaretur, Confeſſario (cui ſe totum manifeſtauerat) approbante, Hieroſolymam peregrinari ſtatuit. Tandem anno MDVII. ætatis ſuæ XXXI. nauim aſcendens, fœlici ſatis nauigatione, breui temporis curſu, illuc incolumis peruenit.

PAVLVS LOCA SANCTA perluſtrat. Cap. IIII.

ETSI Paulus ex Patria in Hieroſolymam literas cõmendaticias ſecum detulerat, quibus non minimum ſperabat fauorem: attamen id in diminutionem meritorum ratus, eaſdem apud ſe retinuit, donec inde receſſit. Dicebat enim intra ſe, quid tu agis? ille, cuius famulus fieri cupis, Dei filius,

ex Regia ſtirpe natus: hic in proprio ſolo, interque cognatos, & notos, abiectus, contemptusque haberi ſpontè voluit; & tu vermis, & non homo, hominum gratiam quæres, qui tibi applaudeant, qui tibi inſeruiant, qui te indignum honore afficiant? Humillimi Saluatoris veſtigia inſpecturus, veniſti; & dedignaris inter pauperes, ac mites cõputari? Hinc omni ſpe humana reiecta, alijs etiam pauperrimis peregrinis ſe commiſceri, eiſdem obſequium, atque auxilium præſtare; infirmos proprijs manibus attrectare, fouere, ac verbis, & opere ſumma cum benignitate conſolari; in nullo ſe reliquis, diuitiarum, vel nobilitatis ratione, præferens; ſed omnibus vltrò ſe ſubijciens. Loca autem myſterijs conſecrata, quaſi in ſingulis Chriſti veſtigia impreſſa intueretur, tanta veneratione percolere curabat, vt cęteris peregrinis magna eſſet admiratio: vtque facilè agnoſceres, non curioſitate videndi, aut diuagandi gratia (vt multi ſolent) ſed verè contẽplandi, lachrimandique cauſa, Hieruſalem petijſſe. Perquirebat tamen curiosè

 omnia,

omnia, quæ in pręfata meditatione, mēte conceperat; & multa, quæ conceptui conformari videbātur, hominem in ſtuporem ſæpius trahebant. In quibuſdam ex locis, quæ communiter viſitari, ac venerari aſſolent, ea cordis lætitia affici, agitarique ſentiebat; vt à corporis geſticulatione (quod ipſe propter aliorum præſentiam abhorrebat) vix contineri poſſet. Tria autem loca, non ſatis habuit ſemel, & bis viſitare; Caluariæ, in quo crux erecta fuit, ſcilicet; Montis Oliueti, vbi veſtigia pedum Chriſti aſcendentis in cœlum, impreſſa apparent: atque Sepulchrum Sanctiſſimum; in quibus præcipuam conſolationem ſentire aliquando confeſſus eſt. His, quæ Hieroſolymis ſunt, accuratè perluſtratis, non ſatis habuit Paulus, niſi & ſanctificatas Iordanis aquas videndo biberet, & ſacri baptiſmatis myſterium, in proprio loco contemplaretur: nec hoc quidem contentus, tranſacto flumine, famoſa deſerta Iordanis adiacentia, ſanctorum Patrū olim habitacula; &, vt quidam volunt, ad Synai vſque penetrauit. Ea autē vaſtæ

ſtæ ſolitudinis oblectatione captus, ac nimia affectione ductus, ad loca ſancta Hieroſolymorum, crebra viſitatione, percolenda accenſus; illic ad extremum vſque diem manere proponit. At cùm omnium, quos de hac re cõſuluerat, opinio eius (etſi piæ voluntatis) contraria foret, maluit aliorum conſilio, quàm proprio deſiderio acquieſcere. Non tamẽ prorſus inane fuit propoſitum illud, eò quòd ex illa die nunquam ſolitariæ vitę deſiderium animo excidere potuit; immò futurę electionis radix firmiſſima extitit. Sacris ergo locis animo impreſſis, quod tamdiu optauerat, Iudæam reliquit; & licèt non ſine laboribus multis, varijsq́ue periculis, Patriæ tamen incolumis reſtituitur. Animus illi erat in ſolitam Murani habitationem reuertere; ibiq́ue donec de eligendo futuræ vitæ modo plenè deliberaret, manere. Sed Deus, qui nouum militẽ inſtruebat, alijs exercitijs, primisq́; multò contrarijs exercere deſtinauerat. Non etenim ſufficit, in vno, aut altero genere pugnæ expertum eſſe eum, qui aliorum dux, &

magiſter

magiſter eſſe debet; ſed oportet eum in varijs certaminum modis eſſe exercitatum, quò ſuos aliquando tyrones ad futurum prælium inſtruere ſciat. Oportet, inquam, eum, qui Deo placere intendit, non ſemper ſuam, ſed ſæpe alterius facere voluntatem; nec ſuis ſemper cõmodis, ſed plerumque alienis inſeruire.

PAVLVS SPECIE RECTI deceptus, negotijs ſecularibus implicatur. Cap. V.

CVM primùm itaque Venetias appulit, fratres (vt par erat) ſororesq; inuiſere ſolicitè curauit, qui omnes eum læto animo accipere, venientem deſideratum diu fratrẽ aſtrictiùs amplecti; & quòad poſſunt penès ſe (etſi fruſtra) retinere nituntur. Erat illi ſoror præ omnibus dilecta, quæ cuidam nobiliori de Contarenorũ præclara familia nupſerat: quæque viciſſim Paulum adamabat. Ad quam cùm diuertiſſet aliquando nouus hoſpes, mulieris manus, qui tot viris ipſum rogantibus

viriliter

viriliter restiterat,non euasit.Sic namq; illa lachrymis admixtis agebat. Intelligo,charissime frater, te iterum in tua solita suburbis cauerna velle abscondi; meq́ue cum cęteris cognatis,atque dilectis tuis,quasi alienam relinquere; seu,vt meliùs dicam, quasi feram lęenam fugere. Scio te sapientem,sed in hoc te decipi credam: vereorq́ue ne dum tu Deum quærere intendis,eius præcepta contemnas. En duo sunt tibi fratres, opera tua vtique egentes ambo: sex sunt rursus tibi sorores; quarum duæ sine viro, sineq́; parentibus manent:quæq́ue à te vno solatium sperant. Non tu illis frater, sed pater esse debueras: quæ te non vt fratrem, verùm plusquàm patrem diligunt, ac reuerentur: in te miseræ omnẽ spem suam collocauerunt.Quid,nonne charissimus frater tuus Iacobus moriens,duas tibi filias, quas orphanas relinquebat, summis precibus interpositis commendauit? nonne easdem puellas cum facultatibus suis tibi educandas, ac defendẽdas liberè tadidit? At tu, dum labores vitas,dum ocium quæritas,dumq́ue tuis

inseruis

inſeruis commoditatibus,hęc omnia mi ſericordiæ opera prætermittis: hæc ſan cta exercitia contẽnis,ac parum ſapienter pro nihilo ducis. Sanè frater,nõ iam mihi pius, ſed impijſſimus eſſe videris: tu Tigride immanior, ac crudelior Leone; quem nec fraternus amor,nec orpha norum deſolatio,nec pupillorum neceſſitas quicquam mouent. Iam ſi alibi for taſſis inter tuos habitare non placet, hìc mane mecum: hæc tua domus ſit,eadem pro libito vtere: hoc mihi, hoc domino maritoq́ue meo(de cuius aſſenſu ipſa loquor) gratiſſimum erit. Memento tandẽ pupillorum, ac pauperum ſuorum nobis curæ eſſe, voluiſſe Chriſtum; non autem ſibi ſoli prodeſſe. Hæc cùm dixiſſet mulier,in dubio audientis animus verſatur; nec quò potius ſe vertat, ſatis deliberare poteſt. Ponderat quanti momenti ſit animi iam aliàs guſtata quies: vrget è contrà charorum neceſſitas, ac pietatis opus. Denique hinc inde multis rationibus, tacita lingua,mente pertractatis, tandem vicit pium hominem fraterna charitas; atque fratribus,ſororibus, neptibusq́ue

ptibusque pupillis ſubuenire potius duxit, quàm ſibi vni tantùm conſulere. Firmato itaque propoſito in domo ſororis ſuadentis manere elegit; ac deinde ſororum, quæ ſine viris erant, ac pupillarũ negotia gerenda ſuſcipit; ſicque ſecularibus curis pius homo immergitur. At dum iſta peraguntur, incipit tepeſcere animus, frigeſcit ſpiritualis feruor, à diuinis mens pia diſtrahitur. Rurſus tẽporalium rerũ ſenſim ſubintrat affectio; naſcitur ob multa aduerſa, carnalis paſſio: pullulat in corde iracundia: accenditur bilis; ex quibus & mentis cõſequitur perturbatio. In ſumma in tanta rerum occupatione, dimittuntur ſtudia ſacra; ceſſat oratio, & in actionẽ periculoſam vertitur præterita cõtẽplatio. Adeò vt ipſe alicubi, vicem ſuam dolens, apertè confiteatur, ſe dum talibus intentus eſſet, parum innocenter vixiſſe. Sanè in omnibus expertum ſeruum ſuum voluit Deus. Iam ferè biennium tranſierat, ex quo ſic deluſus detinebatur miſer; nec volens, ac ſępe ſuſpirans ſe inde extricare valebat: cùm ecce de repentè Deus

eundem

eundem quaſi è ſomno mirabiliter excitat. Reſidebat eo tempore in eadem vrbe Petrus Delphinus totius Ordinis Camaldulenſis Generalis; vir & morũ ſanctitate, & doctrina clarus, ac rerum gerendarum longa experientia doctus. Cum hoc venerabili viro magna erat ei atque diuturna familiaritas. Hunc, vt ſępe ſolebat, conuenit Paulus; cui quid ipſe agat, quo in genere vitæ verſetur, quo ſe immiſcuerit periculo, quàm anxiè viuat, ritè manifeſtat: necnon ab eodem cõſilium ſalubre hos laqueos euadendi, ſupplex expoſtulat. Cui ſenex: Noſti fili chariſſime ſcriptũ eſſe; Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Si tu, quæ Mundi ſunt, tractare velis, certè Mundi afflictionibus, paſſionibusq; inuoluaris neceſſe eſt. Equidem pium eſt quod agis; ſed parum pium eſt te ipſum perdere. Nec tę ignorare credam quàm periculoſa ſit noſtris temporibus ſecularium rerum tractatio, cùm vix iam ſine fraude, atque malitia inter homines quicquam agatur. Et tamen, ſcriptura teſte, Qui amat periculum, peribit in eo.

Parum

Parum profectò tibi proderit, si totum Mundum lucreris, animæ autem tuæ detrimentum feceris. Diuerte ergo à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam. Quod, mihi crede, non facies, nisi opera ista tenebrarum abijcias; nisi seculum fugias, atque aliquam benè ordinatam religionem intres. Sunt autem hodie religiones multæ; sed quæ tibi earum magis conueniat, ego non dicam. Assiduè tibi orandum consulo, donec Deus quò sibi placuerit, te vocare dignetur: quòd si fortè certam spiritus electionem dederit, eam sequere. Veruntamen si te animi quies, ac solitudo (quemadmodum nobis aliquando insinuasti) tantopere delectat, nostrā Eremum Camaldulensem tibi præ cęteris propono: sed cùm loci ipsius situs, atque viuendi modus rigidissimi existant; tibi plenius deliberandum censeo.

PAV-

PAVLVS SCRVTINIO DE quibuſdam Religionibus facto, Camaldulum peruenit, & fit Eremita. Cap. VI.

OPTIMI Delphini conſilio cõfortatus, roboratusque animo Paulus, rem quàm citius ad effectum perducere ſtatuit. Eoque vrbe egreſſus varias Italię partes peragratur, variasque Religionum ſpecies maturè conſiderare voluit, ne temerè aliquam earum ingreſſus, poſteà cum dedecore inde recedere cogeretur. Cùm autem ad Eremum Camaldulẽſem ventum eſt, cępit & loci habitudo, atque Eremitarũ ibi commorantium conuerſatio mirum in modum homini ſolitudinis auido placere. Poſtulat vir prudens ab ipſo loci ſuperiore, quatenus ibidem proprio habitu per dies triginta, Eremitico autem more experiundi cauſa ei commorari liceat. Quod illi benignè conceſſum eſt: cui per idem tempus, vt Eremitæ omnia, quę ad victus pertinent, miniſtrabantur. Illeque viciſſim nil eorum, quæ ad obſer-

obſeruantiam pertinẽt,prętermittebat, quò minus obſeruãdo ad vnguem adimpleret. Ieiunabat, pſallebat, vigilabat, orabat,& in iugi ſilentio manens,cuncta vt peritiſſimus Eremita, complere ſtudebat. Menſe tandem in hac ſancta experientia facienda tranſacto,Eremitam fieri, ibidemque habitum ſanctum ſuſcipere decreuit. Verùm antè quàm id fieret, domũ reuerti, ac de rebus ſuis quaſi tunc moriturus diſponere voluit, ne poſteà aliquid impedimenti ſupereſſet,quo pium propoſitum impediretur; & faciliùs ab omnibus Mundi laqueis extricatus, ab omnique ſecularium rerum cura expeditus,nudus Chriſtum ſequendo illuc remearet. Qua de re, & quemadmodum illic præfato tempore conuerſatus ſit, his verbis Lucæ Monacho ſcribens, exponit Delphinus. Petis, inquit, fieri certior, placuerit ne Thomæ Iuſtiniano Eremi noſtræ commoratio, & ſitus, per id tempus, quo ibidem cõmoratus eſt: adeò cordi fuit illi locus ipſe, ſic eſt ea ſolitudine,& vniuerſo ritu oblectatus, vt non potuerit magis. Nõ eſt territus auſteritate

ſteritate Eremitici propoſiti, nō fractus ieiunio panis, & aquæ, nō fatigatus prolixitate pſalmodiæ, atque nocturni officij, non longa ſilentij cuſtodia tædio affectus. Denique ita ſe geſſit in Eremo, vt non minus ei locus ſatisfecerit, quàm ipſe loco. Nam tanta ibi moderatione, & humilitate cōuerſatus eſt, vt vno Eremitarum conſenſu ſummopere laudaretur, omniumq́ue promeruerit gratiam. Nonus hic eſt dies quo abijt, rediturus, vt nobis conſtantiſſimè recepit. Hæc Delphinus. Ad ſuos itaque reuerſus Iuſtinianus noſter, quæ ſibi agenda reſtabant, citiùs (ſano tamen, ac prudenti cōſilio) expediuit. Conſtituit ſcilicet qui ſororū, atq; puellarū curā gereret, & bona oīa, quibus iure obueniebāt, reliquit.

PAVLI ITER, ET RELIgionis ingreſſus. Cap. VII.

TANTI momenti futura erat Iuſtiniani noſtri conuerſio, vt ſiue Deo ſeruum ſuum probante, ſiue dæmone impediēte, ſine magno labore,

ac

ac difficultate fieri nequiuerit. Quam ob rem non pigebit, ſummatìm hìc ea referre, quæ ipſe ad Quirinum, & Ignatiũ ſcribit. Expeditus igitur, & rebus omnibus benè diſpoſitis, nemine domeſticorum conſcio, famulo quódam familiariſſimo ſecum aſſumpto, nomine Petro, die quadã ad Solis occaſum nauim aſcendit. Cùmque in ipſo noctis crepuſculo, ſilentio facto, nauis ſuauiter Hadriaticum ſulcaret, per immiſſam illuſionem à proprio ſenſu vir bonus abſtrahitur. Videbatur ſibi adhuc domi eſſe, & coram ſe fratres, ſorores, nepotes, domeſticosq; omnes, atque amicos conſtitutos habere. Quorum alij eum diſcedere volentem amplecti, alij collũ aſtringere, alij pedibus aduolui; & ſentit voces dicentium; Quid nos deſeris laborum noſtrorum vnicum leuamen? quid in te peccauimus, vt noſtrum ſic fugias aſpectum, nosq; tuo priuare velis? Audit cœlibes ſorores expoſtulantes: Si nos deſertas relinquere decreuiſti, frater, occide prius; ne quod ſupereſt vitæ, in deſolatione tranſire cogamur. Aderant

rant aſtantes orphanæ puellæ prędefun-
cti fratris filiæ, cum ſingultibus vlulãtes,
vocesq́ue præ cęteris extollẽtes : O cru-
delis patrue,tu qui nobis futurus eras pa
ter, cui nos genitor noſter moriens,cum
tanta fiducia educandas, defendendasq́;
tradidit : cui nos, quæſo, dilaniandas,
bonaq́ue noſtra diripienda relinquis?
Hæccine eſt fides, quam fratri tuo dece-
denti dediſti? Etenim corripiet te Deus
de infidelitate tua. Erant & amicorum
voces varia acclamantes : & ſimul om-
nes eum, ne domó exiret, detinebant.
Hac illuſione diu vexatus inexpertus
athleta, niſi præſtò Dei auxiliũ ei affuiſ-
ſet,proculdubiò pugnæ ceſſiſſet,ſeq́; ho-
ſti tradidiſſet cum magno dedecore vi-
ctum. Attamen paulatim reſpirans,ocu-
lis in cœlum conuerſis : O bone Ieſu, ait,
nonne tu dixiſti : ſi quis venit ad me, &
non odit patrem ſuum, & matrem ſuam,
& vxorem,& filios,& fratres, & ſorores,
non poteſt meus eſſe diſcipulus? Nonne
tu præ omnibus his diligendus es, atque
ſequendus? Quis enim eorum pro ſalute
mea intolerabiles labores, verbera, &
tormenta

tormenta passus est? Quis eorum pro peccatis meis crucifigi velit? Porrò nemo hæc mihi beneficia prȩter te prȩstare potest. Vnde meritò dixit quidam, neglecta matre, & calcato in limine patre, ad crucis tuæ vexillum esse euolandum: summumque pietatis genus esse, in hac re esse crudelem. His, & similibus scripturarum iaculis contra inimicum iactis, satis lætus nauigabat Paulus: cùm ecce de repente, siue ventorum sæuitia, siue nautarũ imperitia, quibusdam scãnis arenosis nauigium adhȩsit. Vnde nisi à piscatore quodã Simba extracti fuissent, actũ erat de oĩbus, q̃ ĩ nauigio erãt. Rursus cùm per Aemyliam Camaldulũ versus, iter agerẽt, ad Bidentem rapidissimum flumen ventum est. Quem Petrus fidelissimus itineris comes, primus ingressus est, cuius equus aquarum violentia raptus, inuitus cum suo cessore trahebatur: dum autem periclitanti famulo opem ferre nititur herus, eodem gurgite inuoluitur: ex quo nisi à quodam paupere in ripa stante (qui se in flumen protinus deiecit) adiuti fuissẽt, simul ambos

 absor-

abſorbebat vorago. Idē Petrus, nō multū inde progreſſis illis, ī profundā foueā niue plenam cum equo cecidit, & in magno periculo conſtitutus fuit: nec ſine ruſticorum adiutorio, multaq́; difficultate inde extrahi potuit. Tandem cùm iam arduos Alpium montes aſcenderēt, quia in gelida niue iumenta pedem firmare non poterant, & paſſim offendendo ceſſores deturbabant, inexceſſibiles colles, pedes aſcendere coactus eſt Paulus. Res quidem illi inſueta, & grauis: ideoq́ue in ſudorem verſus, & intolerabili labore defeſſus, ſuggerente dæmonio, in varias, peſſimasq́; incidit tentationes, quas ipſe refert, nos autem breuitatis cauſa omittimus. At dum inter has vndas tentationum agitaretur nouus miles, miſerante Deo, illi in mentem venit præclara Apoſtoli ſententia: Non ſunt condignæ paſſiones huius ſeculi ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Hæc, & ſimilia mente pertractans viator noſter, denique ad ſolis occaſum, Muſoleam (magnificam Camaldulenſiū domum) vix ſemiuiuus peruenit. In ipſa

ſa domo tunc Delphinus erat; qui, viſo Paulo, valdè gauiſus eſt, eumque nocte illa apud ſe retinens miro modo, & corporali, & ſpirituali recreatione refecit: craſtina die, quæ 17. Decembris computabatur, ad deſideratam ſacram Eremũ eundem equis, & comitibus datis, emittens. Quomodo autem ibidem habitum ſumpſerit, & quando, in hæc verba ad Euſebium Priolum ſcribens refert Delphinus. Quod igitur fœlix, ac fauſtum, & ſalutare, tùm ipſi, tùm Eremo futurũ ſperamus; heri (erat enim Natiuitatis Dominicæ dies) in Miſſa de Aurora, Iuſtinianus conterraneus noſter, iucundus & hilaris, habitum Religionis de manibus noſtris accepit. Congaudentibus omnibus de huiuſmodi reuera mirabili hominis conuerſione: quòd in delitijs enutritus, arduum hoc, atque aſperum, tùm loci ſitu, tùm vitæ auſteritate, elegerit inſtitutum. Et poſt pauca: Ad hoc non ampliùs Thomam Didimum, id eſt dubium; ſed Paulum, mutato nomine, placuit appellari: vt eius in aduerſis, & ſeculi varietatibus ęmuletur conſtantiã,

qui plus cęteris Apoſtolis, Apoſtolorum minimus laborauit. Vocatum eſt itaque ei nomen nouum, quod olim os Domini Saulo nominauit. Acta ſunt autem hæc die Natiuitatis Domini M D X. ætatis verò recentis Pauli XXXIIII.

PAVLI NOVITIATVS, ET Petri Quirini conuerſio. Cap. VIII.

SVscepto itaque Sanctæ conuerſationis habitu, ſine mora Paulus ſe totum Deo tradidit: Eremiticę obſeruantię mirabili quodam modo mirabiliter incumbens: ſuper omnia autē iugi orationi inſiſtens. Sed hac de re iucundum eſt Delphinum iterum audire. Mirantur, inquit, omnes conſtantiā eius, deuotionem, humilitatem, charitatem, atque rerum omnium mundanarum contemptum: exemplo eſt omnibus religionis, & pietatis: nulli eſt in Eremiticæ diſtrictionis obſeruatione ſecundus. Heri namque viſitaui Eremum, & reperi Paulum exultantem in Domino, & non tantùm corpore, quàm ſpiritu valētem.

Hæc, & alia multa de eius religioſo tyrocinio bonus ſenex lib. 10. Epiſtolarum renarrat. Etenim pulchrum erit hìc referre, perinde ſe à principio abnegaſſe in Prælatorum manibus, vt nihil prorſus ſine expreſſo moderatoris conſenſu intentare, aut vel minimam cogitationem celare aliquando ſit auſus. Vnde factum eſt, vt etiam in ijs, ad quæ nimius feruor (vti incipientibus accidere ſolet) eũ impellebat, ſumma vbique cum diſcretione ſe haberet: eoq́ue abſtinentijs panis, & aquę, iuſta moderatione vtens, nullum ei detrimentũ tale ieiunium aliquando attulerit. Sic in vigilijs, diſciplinis, & alijs pijs exercitijs ſemper viſus eſt prudentiſſimus; in omnibus denique temperatè agere nouit, oratione & ſilentio exceptis, in quibus nec modũ, nec tẽpus ſeruare poterat, quin ſemper, & vbique (niſi impeditus orare, vel loqui compulſus fuerit) mente orans, & ore clauſo, in cella manens, vel foris agens, incedebat. Tentationes multas, ac magnas perpeſſus, omnes facilè prudentia, opeq́ue diuina ſuperauit: tres autem earum longo

tempore ei infeſtæ fuere. Prima extitit recordatio pupillarum, quarum curam ipſe domi agebat. Non enim poterat, pro innata pietate, non illis compati, & condolere: ſecunda curioſum deſideriũ erat (opus Satanæ) vt ſcilicet ſacra Eremus lapideo muro ſtringeretur: quam Delphinus eidem ſcribens exprobrat, immiſſiones, inquiens, per angelos malos. Tertia multo his durior, & tenacior viſa eſt, quia maiori rationi nitebatur, plusq́ue ponderis in ſe habebat: quæ quidem, ſi exitũ conſideremus, tentatio non erat, ſed Dei inſpiratio; quæ iam tunc velut ſemen futuræ ſegetis à Spiritu ſancto, in nouali aruo ad hoc præparato, ſerebatur. Porrò hæc imaginatio quædam fuit, ſeu potius conſideratio in intellectuali parte formata, vel certè ex rationali fundo procedens. Conſiderabat vtique vir iſte deſideriorum, quàm ſancta in ſe conſiſteret Eremitica inſtitutio, quàmq́; apta non ſolùm ad ſalutem ſimpliciter poſt mortem, ſed etiam ad perfectionem vitæ in terris conſequendam: admiratus ſiquidem ſolitudinis

quie-

quietem, orandi opportunitatem, à populari tumultu ſequeſtrationem, & ſeruorum Dei perpetuam conuerſationis ſanctitatem. Accedebant ad hæc mirabilis perpetui ſilentij obſeruatio, ciborũ parcimonia, nocturna pariter, atq; diurna diuinorum officiorum deuota melodia: ſtupebat in ſtrictæ obſeruantiæ generali cuſtodia, in reuerentia omnium erga ſuperiores, in mutua inuicem charitate, ac ſimiliter in vigilantia, benignignitateque prælatorum. Ex quibus facilè ſibi perſuaſum habebat, ſolitariæ Camaldulenſium vitæ aliam inſtitutionem ſimilem ſub Sole non inueniri. Econtrà animaduertens tàm precioſum theſaurum in tàm anguſto vaſculo concludi; & quod omnibus manifeſtum eſſe debuit, tàm paucis innoteſcere, quodq; per totum orbem terrarum ob ſalutẽ animarum extendi oportebat, in vno Hetruriæ ſtrictiſſimo angulo latere, magno cordis dolore afficiebatur. Inde animo concipiebat, hoc tàm ſanctum inſtitutum ampliandum fore, vt multis prodeſſet, quod nunc abſconditum vix pau-

cos

cos iuuaret, magnumque inde vniuersitati fidelium prouenire damnum. Hæc sanè profunda cogitatio sæpius, perque multum tempus animo eius adhæsit, atque mentem quodam zelo pietatis nimium occupabat, quamque tam efficaciter imbiberat, vt nunquàm à se potuerit profligare. Ac præter id, quod ad mores, & tentationes attinet, modis multis pij animi affectionem in suo nouitiatu ostendit: propterea quòd ex proprijs pecunijs cellam vnam, & aliud quoddã ædificium domui vtilissimum, construi voluit. Obtulit & quædam munuscula in templi ipsius ornamentum non minimi precij; & alia, quæ hìc non numerantur. Tanta præterea erat in moribus modestia, & in conuersatione affabilitas, vt magnates multi, prælatique non pauci Eremum inuiserent, non ob aliud quidẽ, quàm ꝙ eius aspectu, dulcique colloquio, vel modicum fruerẽtur. Inter quos Ioannes Medices Cardinalis, qui posteà Papa Leo Decimus fuit: hic eius conuersatione adeò delectabatur, vt quoties Iustinianum nominaret, nostrum addere

non

non pigeret. Iulio quoque Cardinali, qui deinde Papa creatus, Clementis nomen accepit, chariſſimus extitit: à quo & multa ſuo tempore priuilegia, & gratias ampliſſimas obtinuit. Poſſem & aliorum multorum nobilium, ac principum amicitias enarrare, quas tamen ex induſtria reticebo. Poſtremò non ceſſat interim diligens operarius ſuum Vincentium Quirinum, & alios compatriotas amicos literis crebris ſollicitare, vt fallaci ſeculo relicto, eius exemplo in Eremum confugiant: qua diligentia intra annum tres egregios viros, omnes patritios Venetos in ſolitudinem traxit. Horum primus Quirinus: Hieronymus Georgius ſecundus: tertius Ioannes Baptiſta Ignatius fuit. Quem tamen Ignatium opere infecto, aut certè non incepto receſſiſſe, compertum habeo. Erat autem Quirinus Hebraica, Græca, ac latina lingua peritiſſimus, haud vulgaribus legationibus in patria functus. Tales quippe ad ſe trahebat Iuſtinianus, qui frugi Religioni futuri eſſent. De iſtis tribus patritijs Venetis ſic ad Cardinalem

Volter-

Volterranum ſcribit Delphinus: Agas Deo gratias, quòd ſuſcitare dignatus ſit de lapidibus filios Abrahę, qui ſicut omnes vaticinantur, labenti, & cadenti Religioni dorſum ſupponere idonei ſint futuri. Hoc idem ſentit Euſebius Priolus, cùm ait ornatam fuiſſe tūc temporis Camaldulenſem Religionem duobus luminaribus magnis, Petro Quirino, & Paulo Iuſtiniano. Venit ſiquidem Quirinus ad finē anni nouitiatus ipſius Pauli, vtpotè qui de manu eiuſdem Generalis die Cathedræ ſancti Petri MDXII. habitū ſumpſit. His tandē cùm in ipſa Eremo biennio ſumma cum omnium laude vixiſſet, Romæ Cardinalis deſignatus, nondū inſignitus, fœliciter obijt. Iuſtinianus autē tyrocinij anno tranſacto, iubilus vota emiſit: qui poſt paucos menſes ſimul cū Quirino, ſacris ordinibus decoratus eſt, Dei Sacerdos factus.

PAVLVS SACRAE EREMI defenſorem agit. Cap. IX.

DVM in ſtricta tyrocinij ſolitariæ militiæ diſciplina, ſub vigilantiſſimo

mò magiſtro continetur Paulus: nimirũ ſilentio, orationi, & Anachoreticæ perfe ctioni tantummodo intentus, quid foris ageretur, quę eſſent negotia domus, quid ſacrę Eremo vel boni, vel mali contigiſſet, penitus ignorabat. At profeſſione fa cta, cum ſenioribus ſe colloquio miſceri cœpit, cùm etiam conuentualibus capitulis (quæ illic frequenter celebrari ſolent) vocatus interueniſſet; tunc primũ agnouit domum illam aduerſa vti fortuna, ac varijs modis familiam ſacram aliunde vexari. Audit venerabilium Patrum ſuorum querelas, & quàm mutata facie Camaldulenſis Eremus incedat, manifeſtè percipit; necnon tanti męroris cauſas animaduertit. Rem inſuper ta citus conſiderans miratur valde, ac tandem non poteſt concepti doloris non foris oſtẽdere ſigna. Hinc quaſi aliud agẽs, quadam verborum modeſtia, Patribus negligentiam, qua circa hęc vſi ſunt, tentabat obijcere; addebat & modos, rationibus adhibitis, quibus tanta iactura vitari poterat, atque adeò acceptũ damnum recuperari. Hæc viciſſim audientes

ſupe-

ſuperiores, & animi virtutem, & rerum peritiam in homine conſiderantes, conuocato capitulo eidem reſiſtendi, & recuperandi prouinciam delegare decreuerunt, plena ad hoc auctoritate tributa. Quo nuncio audito, ingemuit pius homo, & ad genua Patrum procidens, copioſis lachrymis admixtis, ſupplex orat reuocari decretum; ſe nouum hominẽ, & in ſimilibus inexpertũ cauſans; addẽs (quod eius animã magis angebat) quicquid in ſpirituali exercitio tãto tẽpore, atque labore acquiſierat, in puncto eſſe amiſſurum. Aſſurgunt Patres, nec ſatis eius verba attendunt, ſed perſeuerantes ad patientiam eum hortantur, magnum obedientię fructum ei proponẽtes. Qui egreſſus exedra Eccleſiam intrat, & coram ſanctiſſimo Sacramento ſingultis, & ſuſpirijs Deum Opt. Max. orat, vt adiuuet mœrore affectum ſeruum ſuum, & quid ſit facturus, inſpiret. Cauſæ huius inquietudinis iſtæ præcipuè referuntur. Baſilius quidã conuentualis, Abbas perpetuus Sancti Fœlicis Florentiæ, vir ſagax, & humana prudentia maximè pol-
lens,

lens, lingua velox, animo intrepidus, & corporis viribus præſtans : cuius geſta venerabilis Auguſtinus latè proſequitur : nos verò (quia noſtri inſtituti non ſunt) ſilentio præterire conſultiùs duximus. Is in Hetruria vices generalis gerẽs, cuncta agitabat; nec qui ei reſiſteret, facilè erat inuenire: quem ne ipſe quidem Generalis (à quo eius auctoritas dependebat) frenare poterat, aut certè compeſcere non eſt auſus. Inter alia hic ſiue dignitatis nomine, ſeu fato ita permittẽte, Monaſterium Fontisboni, & res omnes Eremitarum, præter ordinem , liberè adminiſtrabat . Nec his contentus, ad radices montis, domum quandam, ſiue palatium (quod Muſoleam vocant) voluit ædificare : cuius fabricæ prætextu, multa in Eremum ipſam machinatũ eſſe, etiam hodie perhibent eius cultores. Magnas in primis, exceſſiuasq; pecuniarum quantitates abſumpſerat, magnoq; ære alieno pauperes Eremitas grauare : item agros, & poſſeſſiones eorũ alienare non verebatur : &, quod grauius erat, quaſi ædificio neceſſaria prouidẽs, abie-

tum ſyluas (Eremi vnicum ornamentū, atque ſolatium) magna facta ſtrage deuaſtabat. Tandem illi in mentem venit latiſſimum nemus, quod incolę Macciam vocitant, ad vltimam vſque abietē abſcindere: nimirum ratus (vt creditur) attenta lignorum multitudine, pulchritudine, ac perfectione, inde multa millia aureorum parari poſſe. Sciendum tamē eſt, ex hoc pretioſo nemore non tenues quotannis (ſelectis tātùm excisis, ſuperfluisq́; arboribus) Eremo ipſi redditus prouenire. Audito ergo nuncio, ægrè tulerunt Patres, Paulumq́; illicò ad obuiādum imminenti damno ſtimulant. Egreditur foras nouus defenſor, & dilectam ſolitudinem derelinquit; remanet in cacumine montis ocioſa Maria, & ſollicita Martha cum eo ad ima deſcendit. Conuenit Vicarium, & reuerenti ſalutatione præmiſſa, eum blandè alloquitur: cōqueritur de damnis Eremo datis, exprobrans agrorum, poſſeſſionumq́; alienationes: annumerat etiam contracta debita, & ſyluarum deuaſtationes deplorat: & tandem imminentem magni nemoris

moris extirpationem, ei diſſuadere conatur. Poſtremò, cùm addidiſſet prædicta omnia illi in magnum dedecus verti, nec ſalua conſcientia fieri poſſe: tunc homo ferox toruo oculo, trucique vultu hominem reſpicit, aſperaq; voce hæc, & alia ſibi (nempè auctoritate vicarij ſuffulto) licere aſſeuerat; maiora ſe de cętero factura comminans. Ad hæc Paulus: Falleris Reuerende Pater, ait, ſi credis ad hoc tibi dignitatem iſtã, qua fungeris, eſſe collatam: data namque fuit nõ vt deſtruas, ſed vt ædifices; non vt euellas, ſed vt plantes; non vt diſſipes, ſed vt congreges, cõſerues, & defendas. In ſumma excõmunicationes, & grauiores cenſuras priuilegiorũ, quæ multa & magna habet domus illa, in eos qui domui ſacræ damnum inferunt, ſeu iniurias irrogant, pleniùs commemorat; eis ſe vſurũ niſi à cępto deſiſtat proteſtans. Quin ętſi opus fuerit, ſummum Pontificem adire, & alia quæcumque remedia opportuna quærere comminatur. Erubuit vir alias intrepidus, & magna iracundia accenſus cum fręmitu diſcedẽs, querulum paupe-

rem irreſolutum reliquit. Tandem tanta fuit in eo pertinacia, vt non ſolùm deuaſtationi ſolitæ inſiſteret, ſed & alia hactenus non cogitata nouiter intentaret. Ex aduerſo Paulus literis crebris, ac nuncijs cum Delphino Generali expoſtulat, & omni ſubmiſſione ſeruata, de damnis, & iniurijs acceptis conqueritur: ſed cùm nec inde debita emanaret prouiſio (etenim ſenex aduerſus vicarium ne mutire quidem audebat) Romam ſe confert, ac ſummo Pontifici, longa elegantiq; oratione corã eo habita, infortunia omnia, quæ ſacra Eremus ſuſtinebat, exponit; eius auxilium humiliter expoſcens. Profectò hæc dum audit Baſilius, mirum in modum excruciatur; audit, & contriſtatur Delphinus: non enim exiſtimarant eòvſque expoſtulationem venturam. Scribit ſtatim Paulo Generalis, & quaſi derelictæ ſolitudinis eũ arguẽs, pulchrè vt ad illã redeat, Roma relicta, nititur ſuadere. Atqui Patres, qui duriùs Camalduli vexabantur, eundem ad perſeuerantiam hortantur: immò timentes, ne in tanto conflictu deficeret, aut in gratiam
Delphini,

Delphini, infecto negotio curiam deſereret, eidem Petrum Quirinum in ſociũ, & adiutorem mittũt, Quo audito, ſenex vtriſque ſimul ſcribit, eundem ferè ſermonẽ repetẽs: Epiſtolis 70. & 73. lib. 10. Nihilominus illi conſtanter perſeuerantes, donec vicarius prohibitus, & ſacra Eremus à vexationibus liberata eſt, cepto in opere viriliter perſiſtunt. Breui denique tempore, perfecto negotio, ad optatam ſolitudinem, victoria parta, redeunt; vbi cum magno Patrum iubilo recepti ſunt.

DELPHINVS, ET PAVLVS de congruo Religionis remedio deliberant. Cap. X.

PER aliquot menſes in ſancta ſolitudinis quiete, iuxta deſideriũ ſuum, poſt reditum à curia commoratus Iuſtinianus noſter: ecce à Petro Generali tunc in Fontebono cõmoranti die quadam accerſitur. Deſcendit obediens filius, & poſt mutuos amplexus cubiculũ ſenis ingreſſi, per lõgum tempo-

ris ſpacium inuicem confabulantur; inter loquẽdum de miſero Religionis ſtatu incidit ſermo. Multa hinc inde proferuntur, atque vtriuſque deſiderium ad vnum eundemq́; effectum tendebat, idq́; erat, vt per generale Capitulum inueterato morbo mederetur. De modo autẽ, quo id ipſum pertractandum eſſet, nõ ſatis inter eos conſtabat. Senex vtique lõga in his experiẽtia puſillanimis factus, ſine ſtrepitu inter eos orationibus, & validis perſuaſionibus ad potentiores Religionis p̃latos factis, cenſebat agendũ: iuuenis verò ſolito animi vigore actus, præter illa, Pontificũ, Principũq́; auctoritate vtendum, & nolentes etiam cogendos eſſe, exiſtimabat. Timebat etenim ille, ſicut aliàs expertus fuerat, ne pertentato, nec ſuccedente negotio, foris ſcandalum generaretur: iſte verò conſiderãs non in paucis, ſed in multis, diuerſiq́; ingenij, ac proprijs cõmodis intẽtis viris, qui nec forſitã vocati vẽturi erãt, rẽ cõſiſtere: propterea ſine ſupremo imperio id minimè fieri poſſe iudicabat. Re igitur ad maiorem deliberationem relicta,

cta, cùm vidisset senex iuuenis animum, ac zelum domus Domini, & eũ ad futurũ negotium idoneum, non tunc primùm, sed iam olim agnouisset; quasi hominem iuxta cor suum inuenisset, lętatus est valdè. Etenim per annos triginta remigauerat Delphinus quò nauiculam suam è fluctibus eriperet, sed frustrabantur labores eius; immò quò magis ille laborare nitebatur, eò minus proficiebat. Hanc ergo occasionem nactus, quicquid illi in votis erat, Paulo aperire non differt: quẽ & sibi socium ad opus peragendum (fide mutuò data) assumit. Et hoc erat, quod iam aliquot mensibus elapsis eidem scribẽs, dixerat: ego nihil magis cupio, quã vt mecum sis, mecumq; labores: paucis sanè verbis magnum opus significans: quia tunc sic loqui oportebat. Huius verò consilij Quirinum quoq; participem fuisse, quidam affirmant. Ideoque de his duobus præstantissimis viris sic agit Eusebius Priolus. Hij vbi inspexerunt nauiculam hanc Benedicti procellis agitari, ac fluctibus obrui; induxerũt sibi iam semiperditæ Religioni succurrẽdũ fore.

Interim dum hæc apud eos cunctando aguntur: ecce Romanus Pontifex Iulius Secundus moritur, in cuius locum Ioannes Cardinalis Medices suffultus est, Leo Decimus dictus: homo sanè vtrique eorum (vti sępe retulimus) magna amicitia coniunctus. Tam læto, ac prospero nuncio audito, Delphinus qui tunc temporis Florentiæ agebat, Paulum confestim ad se venire iubet: quò cùm ille nõ piger peruenisset, magna inuicem gratulatione peracta, paucis concludunt nouũ Pontificẽ præfati negotij causa sine mora esse adeundum, & eius auctoritate omnia fieri debere statuunt. Mittitur Romã Paulus, qui prius Iulianũ Medicẽ Põtificis fratrẽ conuenit, qui etiam semper & Patres summoperè dilexit, suamq; operam in rebus Eremi libentissimè impendit: cuius fauor, ac potentissima auctoritas non parum ad hoc opus perficiendũ profuit: deinde summi Pontificis pedes osculaturus accedens, omnia quæ in mãdatis habebat, eidẽ humiliter exponit. Quo audito, benignè Pontifex petitioni annuit: vt qui cuncta Religionis incom-

moda

moda iam anteà intellexerat; nec quid fieri opus eſſet ad eius reformationem, ignorabat. Expedito igitur de more curiæ mandato, omnibus ſimul cuiuſcũque claſſis Camaldulenſis Ordinis religioſis generalis conuentus Florentiæ aſſignata in literis die celebrandus indicitur. Cõgregatis tandem ad deſtinatum locũ omnibus tam conuentualium, quàm obſeruantium, necnon Eremitarum Prælatis; multa conſideratione, longoq; tractatu (prout res ipſa poſtulabat) ad debitum denique finem generale Capitulũ deductũ eſt: menſe Maij anno M D XIII. In quo, præter ea quæ de reformatione tractantur, actum eſt: vt ſacra Eremus in ſuum priſtinum præeminentiæ ſtatũ reſtitueretur, ſicut reuera reſtituta fuit, & in ſuam naturalem dignitatem redintegrata, inq; religionis totius caput denuò erecta. Rurſus ex conuentualibus (licèt non omnibus) & obſeruantibus, vna & ipſa obſeruantiſſima facta eſt congregatio: quæ vnita cum ſacra Eremo capite ſuo, in vnum corpus redacta eſt Camaldulenſis Religio. Ideoq; doctiſſimus Petrus

trus Bembus,qui tunc Pontificis à ſecretis erat, & poſteà Cardinalis factus eſt, in principio priuilegij Leonis ad Camaldulenſes, hæc dirigit verba. Attendite quàm piè ſanctiſſimus Pontifex religionem veſtram reſtaurare,ac decorare ſtuduerit,ſeparata, & diſſipata penè, atque à capite ſuo Camaldulenſi Eremo diuiſa membra redigere,& capiti ſuo vnita, ad vnam cõgregationem reducere curauit. Similiter prouiſum eſt, ne de cętero generalatus perpetuus foret,ſed triẽnalis: quodq́; alternatim ex Monachis, & Eremitis prior Eremi,hoc eſt, Generalis eligeretur. Prætereà, cùm conſtitutiones Eremi præ vetuſtate, temporumq́ue diuerſitate,atq; auctorũ varietate vix iam inter ſe præ confuſione cohærerẽt, obq́; multitudinem quid obſeruandum eſſet, nullo modo conſtaret: ordinatũ extitit, vt chaos illud in iuſtum opus, & certum ordinem redactum foret. De quibus latiùs in dicto priuilegio num. 222. apparet. Hoc itaque inſigne munus,immò veriùs grauiſſimum onus humeris Pauli impoſitum fuit, atque ei tanquàm fideliſſi-

mo,

mo, idoneoque Religionis ministro totius negotij substãtia commissa est, cum plena tollendi, mutandi, corrigendi, addendi, & iuxta arbitrium suum reformãdi auctoritate. Quod prolixum, difficile, ac laboriosum opus, post longam recusationem, omninò inuitus suscipere à superioribus cogitur. Quo tamen suscepto, multa diligentia, atque labore ex infinitis determinata collegit, ex barbaris dedit latina: varia ac dissona, concordãtia fecit: ex multis denique vnum, certũq; mira arte coadunauit opus: quod quidẽ ex alienis, proprium suo iure reddidit. Opus, inquam, quod nec grauitate Hieronymo, nec facundia Augustino, nec facilitate Gregorio cędit; in quo & auctoris ingenium, artificis peritia, scientiæ magnitudo, & omnia pietatis dogmata relucent. Porrò cùm Delphino, bonisq; omnibus mirum in modum placuisset libellus, eundem non constitutiones simpliciter, sed Eremiticæ vitæ regulam appellari voluerũt: cuius originale manu eiusdem auctoris scriptum, in sacræ Eremi MONTISCORONAE bibliotheca custoditur.

ditur. Gaude interim tu Eremus ſacra Camaldulenſis, quæ tantum alumnum habere meruiſti, cuius diligentia & ope iam iam peritura, inſtaurata es, & in tuã primæuam dignitatem reſtituta. Gaude rurſus, ò fortunata Eremus, quæ cũ præ cõfuſione veterum ſtatutorum certo careres ordine, nunc eiuſdem ſtudio tã certa, mirabiliq; regula Eremitici ritus dotata es: qua quidem maiorem, neq; meliorem à tua ipſius fundatione in hunc vſque diem non habuerunt præteriti tui cultores. Gaude tandem & tu venerabilis Muranenſis congregatio, quæ ab illa ſanctiſſima reformatione in tantum regularis obſeruantię augmentum deueniſti, atq; tantoperè & monaſterijs, & Monachorum numero es locupletata: adeò certè vt te hodie neque ſanctior, neque amplior alia Monachalis ſocietas inueniatur. In qua proſperitate Deus Optimus Maximus te ſemper conſeruare dignetur. Amen.

LABO-

LABORES, ET PRAELATVRA Pauli. Cap. XI.

MOrtalivm natura, humani cordis ſenſus, & cogitationes ad malum prona eſſe, ſacra ſcriptura teſtatur; atque rectos virtutis tramites abhorruiſſe ſemper, experientia optima rerum magiſtra quotidie docet. Gaudet ſiquidē infęlix homo iuxta proprium ſenſum, etſi corruptum, liberiùs oberrādo ambulare; ac monita ſancta prudentum vbique reſpuens, fidelem doctorem contemnit, adulatorem autē peſſimum in ſuam perniciem ſequitur, & iniquum diligit conſultorem. Vnde veriſsimum eſſe Comici poetæ dictum cōperimus: Obſequiū amicos, veritas odiū parit. Porrò ex his, quę ſuprà retulimus, multi tàm Monachi, quā Eremitæ Paulum magis ac magis diligētes, ſummoq; amore complectentes, patrem ac defenſorem eum vocitabāt. Etenim Religioſi omnes, & ſanctæ obſeruantię amatores, eius opera, ſeu virtute conſiderata, hominem Dei & religionis zelum habentē

ſuſpi-

ſuſpicere, continuisq́; verbis laudare nō ceſſabant, intelligentes quanti boni fuerit auctor. At ex aduerſo multi eorum, qui comitia celebrata ægre ferebant, eò quòd ſuis illicitis commoditatibus priuati exiſterent, regularis quippè obſeruantiæ oſores, in eiuſdem obſeruantiæ protectorem magno odio exarſerunt, procacibus verbis eum laceſſere nō ceſſantes. Remanſerant vtique non pauci in ſua conuentualitate, in qua perſeuerauerunt vſque ad Pontificatum Pij Quinti: qui Tridentini Concilij decreta inſequens, eos, ſicut & in alijs Religionibus fecit, radicitus extirpauit. Iſtos, inquam, benigniſsimum Iuſtinianum, tanquā ſui fundi calamitatem exiſtimantes, multis modis clàm inſectaſſe compertum eſt. Attamen Paulus, cui pia mens ſemper inerat, eorum omnium certior factus, patienter ferre, bonū pro malo eiſdē reddere, pro perſequentibus ſe inceſſanter orare; & tanquàm ſurdus, non audiens, & mutus non aperiens os ſuum, æmulorum inſanias ſumma cū benignitate diutiſsimè ſupportauit: cuncta propter Deum,
quaſi

quaſi ſtultus factus, diſsimulans. Memor profectò illius, qui dixit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Atqui hęc mala eum parum aut nihil afficiebāt, vt qui patientiæ aſſuefactus modicum quid etiam in magnis aduerſitatibus vix ſentire poterat: immò ipſe ſolitus eſt dicere, tunc non benè cum Dei ſeruo agi, cùm omnia ei arridere videntur, & ſecundùm votum ſuccedunt: ſed tunc rem illi proſperè contingere, cùm vndique eum aduerſa circundant, & dolore vrgente præmunt, iuxta illud: Tanquàm aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiā accepit illos. Reuerſus itaque vir Dei in Eremum, externis negotijs omnibus reiectis, iterum ſolitæ domunculæ poſſeſſor factus, ſecū negotiari cœpit, & quid foris boni egerit, quidve mali admiſerit, iuſta trutina examinat: de bono gratias agens Deo, de malis, ſi quid erat, graui cenſura corpus affligens. Certè hoc illi familiare erat, nullum vel minimum erratum impunitum relinquere, propriæ ſcilicet car

nis

nis ſæuiſſimus vltor. Reuertitur inſuper ad priſtinam orationis frequentiã: reaſſumit ſecreta pœnitentiæ exercitia, & quaſi mundo exul effectus, omnis eius cõuerſatio in cœlis erat. Hoc eodem loco, & tempore, in hac aſſidua mentis in Deũ eleuatione (ſicuti poſteà ſuis narrare cõſueuit) paſſim occurrebat illa ampliãdæ Eremiticæ conuerſationis diuina inſpiratio: quæ iam à principio in ipſo Religionis tyrocinio eius mẽti (vti diximus) inhæſerat. Verùm cùm ipſe ſeniorũ diſſuaſione eãdẽ tãquã ſuſpectã totis viribꝰ eijcere tentaret, tũc illi tenaciùs inſidere viſa eſt. Quę res quandoque, dũ libens in illa cogitatione moraretur, conſolatio magna: ſed quoties eam à ſe abdicare niteretur, toties cordis dolor, & mẽtis atra cõſequebatur turbatio. Præterea, tãta ijſdẽ diebus abſtinẽtia vtebatur, vt miniſtri, qui cibos Eremitis quotidie per ſingulas cellas miniſtrare ſolent, mirarentur; quibus rem ſuperiori nuncian tibus, actum eſt, vt iuſſũ maioris maiorẽ portionem alimenti ſumere cogeretur. Sacrum item ſilẽtium nunquam violare

visus est, nisi interrogatus: ita vt intuentes in admirationem adduceret. Postremò, omne tempus, quod peractis diuinis officijs, supererat, absorbebat lectio cũ oratione: quibus eo modo se applicuerat, vt videntibus stupidus, ac sui absimilis appareret. Si aliquãdo syluas ingressus animi recreandi causa, prout illic fieri solet, deambularet; statim in aliquam non momentaneam meditationem induccbatur: quò per ea, quæ facta sunt, vt Apostolus ait, inuisibilia Dei intelligere posset. Sic vtique die quadam dum inter abietes, & fagos versus Eremum nouã, vt vocant, solus speculando pergeret, scalam obedientiæ excogitauit: de qua postea elegantem libellum dedit. In cuius principio, ipsemet hoc ipsum cõfitetur. O quàm dulce cõmercium, ò quàm fœlix occupatio, ò quàm suauis cõuersatio illi contigerat: si tamen diù in ea manere potuisset. Hæc sanè operabatur in seruo suo diuina bonitas, quò posteà cũ sibi benè visum fuerit, à tanto ocio ad maiores labores eũ arriperet, sic eundẽ exercens, vt suo tempore actioni simul, & cõ-

templationi esset idoneus: nec ociosam tantùm, aut laboriosam, sed mixtã perageret vitam. Vnde illi contigit, quòd vix per semestre gustata dulcissima quiete ad exteriora iterum negotia egredi cogeretur: cùm enim experientia didicissent Patres, quanta in eo esset rerum peritia, alium necessitate occurrente mittere, ne cogitabant quidẽ. Nec illi quicquam profuit magna, qua vsus est, apud superiores excusatio: quòminus perseuerãtibus in ꝓposito Patribus, obedientię iugum ferre cogeretur: quam ipse etiam proprio sensu repugnante, semper libentissimè amplexus est. Hinc factum est, vt sine mora foras egressus, amata solitudine relicta, ad populares tumultus accederet: factus quippè quasi mollis cera ad omnem formam recipiendam aptus. Dum igitur extra cellã, immò extra Camalduli fines versatur; dum secularia inter seculares homines tractat, quot labores, quanta incõmoda passus sit, nõ est meum explicare. Vnum hoc tacere non debeo, quòd scilicet quandocunque vel in cubiculo, vel alio quovis loco solus

manere

manere ei datum eſt,toties(eius comite teſtante) ſuſpiria emittere,& lachrymis abundare non ceſſaret, dilectæ cellulæ amiſſum ſolatium deplorans. Neque hìc ſilentio prætereundum eſt, quòd vltrà eius ſocius referre ſolebat, nunquam videlicet vidiſſe ſe Paulũ aliquod negotiũ tractare cępiſſe,niſi longa oratione pręmiſſa: quò fieri,ſicut in ſe exiſtimabat,vt cuncta incredibili temporis breuitate, mirabiliq; facilitate perficeret. In his ergo negotijs, quæ multa ac difficilia tunc temporis in illa domo fuerant, propter quædam ſacerdotia in vim vnionis factę recuperata, ferè biennium conſumpſit, vix tertium quemq; menſem in Eremo agens. Cruciabatur miſer tot laboribus, itineribusq; fatigatus,nunc Romã, nunc Florentiam,Senas,Aretium, & alias ciuitates frequentans : modò Cardinales, modò Epiſcopos,ac ſeculares Principes interpellans. In ſumma, Deo dante, ab omnibus extricatus in ſolitudinem reuertitur : ſed proh dolor, dum pòſt lõgũ tempus relicta pia exercitia reſumit, quod difficile eſt, dum cęleſtis roris pri-

ma libamina deguſtare incipit: ecce anno M D X V I. quarto nempè à profeſſione ſua, maior Eremi factus eſt: quæ prælatura apud Eremitas prima dignitas exiſtit, cui nõ ſolùm totius familiæ ſpiritualis cura, ſed etiam totius patrimonij incumbit conſeruatio, atq; defenſio. Quẽ magiſtratum ea diligentia, & rectitudine adminiſtrauit, vt omnium, qui tunc illic degebant teſtimonio, nunquàm meliùs, neque vtiliùs ſacra Eremus tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus gubernata fuerit. Multa, dum Maior eſſet, memoriæ digna geſſit, quæ autem hìc referre prolixum foret: inter alia tamen operepretium eſt ſcire, brachium vnum Sanctiſſimi Patris Noſtri Romualdi ad Eremum deportaſſe, quæ tanto tempore, hoc eſt, per annos quingentos, vel circa, ſine aliqua Sanctiſſimi fundatoris ſui reliquia manſerat. Quod quidem mirabili quodam modo obtinuit, nec ſine miraculo ex ſacro eius corpore extraxit: de quo alibi latiùs. Finito autem eiuſdẽ prælaturæ cum ſummo Dei honore, Religionis decore, & vtilitate, triennij tẽpore,

pore, cùm ipſe viam vnitiuam, ſeu contemplatiuã experiri vnicè deſideraret, humiliter, loco & tempore debito reclu ſionem ſibi per annum concedi petijt. Eſt enim recluſio apud Camaldulenſes in quadam cella ad hoc ipſum coaptata, ad vitam, vel ad certum tempus ſeſe includi: vnde intra præfinitum tempus exire non licet: de qua tamen alibi ex profeſſo tractabimus. Hæc nihilominus gratia tanto deſiderio, & affectione petita, non ſolùm non fuit illi conceſſa, ſed etiam recluſionis loco, Romam cuiuſdã gratiæ impetrandæ cauſa ſtatim miſſus eſt: vbi coactus & per menſes aliquot reſidere. Addam, quòd Camaldulum reuerſus, non defuerunt illi occupationes, & diſtractionis fomenta: quam ob rem tanquam puer ablactatus, ſeu à lacte depulſus, quietis priuationem æquo animo ferre amplius non poterat: animaduertẽs omnẽ viam ſpiritualis ocij, quã ipſe tantoperè anhælabat, prorſus ſibi fuiſſe cõclusã. Quib⁹, & alijs multis iuſtiſſimis cõſiderationib⁹ verèq; Religioſo dignis diu vexatus vixit pijſſimus Dei ſeruus.

VETVS DESIDERIVM EREmitici inſtituti dilatandi, matura deliberatio. Cap. XII.

MEminisse oportet nos in ipſo operis frontiſpicio, Paulũ Iuſtinianum, ſecũdum Romualdum nominaſſe: quod quidem hac vna in re ſatis comprobatum extat, quòd ab initio conuerſionis ſuæ vehementer eũ optaſſe manifeſtum eſt, vt Eremitica Camaldulenſis proles (quæ vno ſemper nidulo contenta fuit) latius propagaretur. Quod ſimiliter Sanctiſſimo Romualdo ſemper placuit: vtpotè, qui per totã vitam nouas Eremos condere, & ſuam religionem dilatare anxiè innituit: &, vt Petrus Damianus autumat, Mundũ vniuerſum in Eremum, & omnes homines in Eremitas conuertere anhælabat. Ideoq; hoc ipſum fieri noſtro Iuſtiniano deſideranti ſemper diſplicuit cõmunis boni viam mortalibus claudi, necnõ animas lucrandi occaſiones tolli. Vt autem quæ diximus, rectiùs intelligantur, ſcire oportet inter Eremitas Camaldulenſes

hoc antiquissimum,& quasi sacratũ institutum esse, ne Eremitica familia extra vnicam illam Eremum dilatetur: & qui inter eos de alio solitario recessu quęrẽdo verba facit, quasi perfidus reputatur. Quæ supersticiosa obseruatio quasi Dominicæ manus abbreuiatrix, cùm Paulo, tùm etiam alijs multis meliora sentientibus viris parum æqua visa est. Ecõtrà, non deficiunt argumenta, quibus opinio illa defendatur: aiunt namque multa cõdidisse Romualdum Eremitoria, quorũ hodie nullum extare vidẽt, eò quòd difficile sit institutum hoc in multitudine, maximè in diuersis locis constituta, obseruari: & alia, quæ breuitatis causa omittimus. Quæ omnis simul disputatio vno verbo satis dissoluitur, si dicamus: eandem rationem retinendæ obseruãtię in singulis (licèt pluribus) locis haberi posse, quæ in vno tantùm habetur, quòd numerosa aliarum Religionum Cœnobia nos docẽt. Nec obstant deserta Romualdi Eremitoria, quæ defectu rectoris, & bellicis illius ætatis tumultibus infestata defecerunt. Sancto igitur zelo

plenus Paulus noster nō desierat coram Delphino, & alijs coeremitis suis, hoc ipsum proponere, & iustis rationibus honestum, vtileq; futurum ostēdere: à quibus tamen eius sententia longè semper reiecta fuit: eòq; iam ei superflua videbatur omnis de hac re tractatio. Veruntamen non ideò cessabat pia intentio: quinimmò Sancto suggerente Spiritu, in eo magis ac magis augebatur, velutque parturiens impellebatur ad effectū properare. Quæ res (etsi sancta) non minimū ei ad suam desideratam animi quietem præstabat impedimentū, atque frequenter mentem à diuino abigebat cōsortio. Huic alia potentior, magisque molesta iungebatur perturbatio, perpetua videlicet exteriorū rerum cura, negotiorūq; cōtinua occupatio: quæ nō erat in breui finem habitura, sed potius in futurum augenda censebatur. His conflictationibus oppugnatus spiritualis miles valdè cruciabatur: nec mirum profectò, cùm à die professionis suæ nunquàm ab aliquo graui Religionis munere (vt sæpe diximus) vacauerit. Quot labores, & animi molestias

ſtias,vt Eremum à direptionibus,ſylua-
rumq́ue annihilatione liberaret, pertu-
lit? Ad generalem conuentum congre-
gandum quomodo inſudauit? In conſti-
tutionibus conſcribendis quot diſpēdia
ſpiritualis boni ſuſtinuit,quotq́; vigilias
egit, inſomnesq́ue noctes pertranſijt?
Rurſus in maioratu ſuo quantis occupa-
tionibus, curis, & anxietatibus præſſus,
& anguſtiatus extitiſſe, putādus eſt? Iti-
nera,incommoda, difficultates, contro-
uerſias, & animi cruciatus, in tot nego-
tijs peragendis, quis valebit annumera-
re? Quid moror? Nunquàm ſine graui
rerum agendarum pondere Camalduli
vixit: &, vt ſemel dicam,ex Eremita fa-
ctus eſt negotiorum geſtor. Hæc dum ſe-
cum cogitat Dei ſeruus, ſtultè ſe agere
ſentit: fruſtrà patriam,domumq́; pater-
nam reliquiſſe:fruſtrà vrbes,ac popula-
res homines fugiſſe: ſine cauſa in ſolitu-
dinem veniſſe,& tandem in vanum ſe ip-
ſum,ſuosq́; abnegaſse,luce clarius agno-
ſcit. Hinc Deum, quem ipſe quærebat;
& Mundum ſimul,quem fugerat, amiſiſ-
ſe: atque in profundum perturbationū,

tempeſtatũ, negotiationisq; barathrum iterum incidiſse, ſibi (non ſine ratione) penitùs videtur. In ſumma cùm prædictis de cauſis ſeſe à diuinis commercijs alienum penitùs,& quaſi à Deo ſeparatũ perpenderet:cępit de opportuno remedio cogitare.Qua in re cùm diù,multũq; detineretur,inter cogitandum (mirabile dictu) non amplius laborum præteritorum recordabatur, non moleſtiarũ ſupradictarũ meminerat: nec aliud in mẽtem venire ſolebat, quàm quòd conceptum viriliter proſequeretur,& ſanctum propoſitum ad effectum niteretur perducere.Et cùm ipſe propter Delphini(quẽ ſemper magnifecit)& aliorũ ſententias, quodãmodo hæſitaret: ecce alia ex aduerſo continuò ratio exurgens ad hæc apud ſe pertractanda,vi quadam, cõpellebat.Quis,aiens,rationabiliter dubitabit, plures ſaluari poſse, ſi plura ad hoc loca præparentur? An non duplici rete plures capiuntur piſces? An ſolius Camalduli Deus? aut inter abietes illas tãtùm habitantibus diuinæ infunduntur gratiæ? Abſit à nobis tàm abſurda cogi-

tatio.

tatio. Prætereà non tanti facienda eſt iſtorum auctoritas, vt eam Benedicti, aut Romualdi conſilio anteponamus. Qui ſanctiſſimi viri vſque ad vltimum vitæ in Cœnobijs, Eremitorijsq; ædificãdis, atque fratrum familijs duplicandis, ſine intermiſſione deſudarunt: quod & omnes Religionũ fundatores fecifse in confeſso eſt. En quot millia diſcipulorum Benedicti in Catalogo Sanctorum relata leguntur; nunquid omnes Caſſini ſalui facti ſunt? Multa inſuper millia Romualdinorum beatas poſſident ſedes: nunquid omnes ex Malduli agro illuc vo lauerunt? Atqui ne Romualdus ipſe illic obijt: nõ beatus Bonifacius; non ſancti viri Ioannes, & Benedictus; neque alij multi huius gregis diſcipuli, qui nec forſitan Camaldulum viderunt. Quos tamẽ ſcimus inter electos Dei triumphare. Iam ſi laudanda eſt Eremus iſta Camaldulenſis ratione integritatis, & obſeruãtiæ: an aliam, vel etiam alias multas ſimiles nequit dare Deus? Illud profectò valdè mirandum venit, quòd præfatum deſiderium, ſeu verius, vt credendũ eſt,

diuina

diuina inſpiratio, non erat in Italia, neq; in Europa remanendi: ſed ad Indos, atq; Antipodas nouiter repertos, aut in terrã ſanctam; denique ad inſideles nationes Anachoreticum inſtitutũ transſerre animus dictabat. Memor equidem beatiſſimos olim Antonium, Hilarionẽ, & alios ſanctos ſolitarios multũ exemplo, & inſtituto illo naſcẽtem tunc Eccleſiam iuuiſse: ſimiliq́; modo exiſtimans hodie in India, vel in Orbe, vt vocant, Nouo plurimum profuturum ſolitudinis propoſitum ad infideles illos conuertendos. Dum ergo in hac deliberatione per mẽſes aliquot dubius verſatur animus, plurimæ illi occurrunt hinc inde tum opportunitates, tum etiam difficultates ad huiuſcemodi rem peragendam. Quam ob rem ipſe ad aliorum conſilium, orationesq́ue multorum confugit, à qua ne ipſe quidem vel momento vacabat; ieiunia aſtrictiora addens, & alijs ſpiritualibus ſecretioribus exercitijs non parcens. Quò, videlicet, dubietatis certitudinem à Patre luminum obtinere mereretur.

BEATVS

BEATVS MICHAEL CONSVlitur,& reſpondet. Cap. XIII.

COmmorabatvr tunc tẽporis in ſacra Eremo Eremita quidã nomine Michael, qui per annos, vt ferunt, circiter viginti, ſecundũ Religionis huius morem in quadam cella ſeorſum incluſus manſerat, vir magnæ ſanctitatis, & cui Deus de theſauris gratiarum ſuarum quinque talẽta tradidit: quibus ipſe negotiari,& alios multos ditare abundè valeret. Fuit in primis miræ abſtinentiæ, parcimoniæq; raræ poſſeſsor; ſilentij, ac ſolitudinis impensè amator; cilicio, & nuditate ſingulariter eſt delectatus; in tẽtationib⁹,& ſpiritualibus pugnis, quæ illi multæ fuere, fortẽ, atque inuincibilem ſe vbique præbuit: feruentiſſimæ orationis aſſiduus conſeruator: viſiones, & crebra diuina colloquia, quæ illi Deus cõmunicare dignatus eſt, quis enarrabit? extitit & miraculorum operator, & prophetiæ ſpiritu mirificè dotatus. Iſte eſt, qui coronam Dominicam, quam hodie Patres noſtri tot indul-

indulgentijs ornatam, benefactoribus, & fidelibus quibuſque deuotis tribuere ſolent, in eadem recluſione primus excogitauit. Huic ſancto viro cũ Paulo magna fuit ſemper ſpiritualis animorũ coniunctio, ſanctaq; amicitia: cui & aliquãdiu confeſsarius extitit. Quorum mutua beneuolentia ex hoc ſatis manifeſta fiet: quòd requiſitus beatus Michael per excellentiſſimum Vrbini Ducem, quò ſibi tunc in lucem æditum filium de ſacro baptiſmatis fonte leuaret, impeditus recluſionis lege illuc ire; Paulũ Iuſtinianũ ad tàm ſanctum, honorificumque opus ſibi ſubſtituere voluit. Hunc ergo præcipuũ habuit Paulus pro facti ſui certitudine habenda interceſſorem; ſeu, vt veriùs loquar, vnicum conſultorem: quem cũ nõ raro ĩterrogaret, quò eius ſuper hac re ſententiam intelligeret, hunc ferè in modum ſemper ſolitus eſt reſpondere. Quod tu mente concepiſti, Pater mi, nec laudare, nec damnare audeo: ſed cũ res magni ponderis videatur, orationibus inſiſtere, iugique mentis intentione Deũ compellare tibi ſuadeo. Quadam autem

vice

vice magna instantia, precibusque multis à Paulo quasi adiuratus, post quoddã ex intimis emissum suspiriũ, sic ait: Vellẽ te memorẽ esse quãtus fuerit meus semper erga te amor, quantumq; te in visceribus Iesu Christi dilexerim: hæc eadem fidelis dilectio me retinet, quòminus ꝓ tua ista peregrinatione, ex corde puro Deo preces effundere valeam. Desiderãs vtique, dum vita comes tibi fuerit, te hìc apud nos manere. Noui enim (etsi in hoc voluntario carcere clausus) quàm vtilis sit, tùm domui, tum paruulo gregi isto præsentia tua: nec ignoro quantum incrementũ domesticis rebus dederit prudentia, qua dotatus es. Et quod plus cęteris animum meum mouet, satis mihi notus est feruidus zelus, quem tu circa Eremiticam obseruantiam perpetuò in pectore isto accensum geris: quo certè non vni, aut alteri, sed vniuersis recessicolis nostris plurimùm prodes. Nec te latere debet, quousq; accreuerit in hac sacra familia tuis monitionibus, ac regimine, Eremiticæ obseruantiæ rigor; tuo exemplo, ac vigilãtia, religiositatis norma;

ma; & tua ſana doctrina ipſius veritatis lumen. Quid multis opus eſt? omnes te vnum ſuſpiciunt, omnes reuerentur, omnes denique te libenter audiunt, & correctiones tuas cum gaudio amplectũtur. Omnes ſeniores tibi gratulãter deferũt: iuuenibus tu pater; tu dux, & auriga: &, quo vno verbo cuncta complectar, ex te tota hæc ſancta familia pendet. Nunc è conuerſo cogita, quæſo, quantam mæſtitiam diſcedens cõgeres in corda noſtra, qua afflictione afficies omnium noſtrum animas, perpẽde qualis in ſacra Eremo tui cauſa fiet perturbatio. Sanè cõcidet iuuenum feruor, ſenes contriſtabuntur, & omnes, te recedente, animum deſpondent. Hinc Malatafca (ſic enim ipſe appellabat dæmonium) inſurget & tentationes prauas immittet, eò quod perturbatos inueniet Eremitas tuos. Iam ſi lucrum animarum mihi obijcere velis, ego perſuaderi nõ poſſum, te alibi (quocunque ieris) plures acquiſiturum, quàm in hac lata Dei officina Chriſto comparare potes. Atqui tu iam mente peragraſti orbem, iam tranſacto mari penetraſti Indos,

Indos, iam infideles, Barbarasque nationes ad Christi fidem conuertisti; & tandem iam illic mille condidisti Eremos. O quàm facile, Pater mi, rerum idæas in intellectu formamus, sed easdem ad veram essentiam perducere, hoc opus, hic labor est. In summa, ne te suspensum diutiùs teneam: præstare quidem potest Deus, si pergas, vt aliquid proficias; desiderium autem tuum omninò non implebis. Ex his itaque ambiguis sancti viri verbis incertior multò, quàm antè fuerat, redditur desiderosus consultor: ideoq; suspensus multa apud se, ac varia cogitatione anxiabatur; constanter nihilominus expectans Dei, iuxtà suum beneplacitum, dispositionem, renuntiãs ex animo cuncta Altissimo disponenda.

PAVLVS ITERVM EREMI Maior eligitur, & priuilegium Eremitici instituti dilatandi à Sede Apostolica obtinet. Cap. XIIII.

ETsi animum Pauli ad præfatũ negotium pertentandum, Spiritus sanctus (vt creditur) secreta inspiratione

 vrgebat:

vrgebat:attamẽ aliquid temerè aggredi valdè vir prudentissimus ueritus: iuxtà Euangelicum consilium, sedens, seduloq; sumptus computans, perspicuè intelligebat Dei opus, non hominis esse, tàm excelsam Turrim ædificare. Dum itaq; in hac perplexitate versatur, ecce iterum Eremi Maior creatur: quam dignitatem cùm ipse valdè recusaret, nec quicquam renitẽdo proficeret, visus est præ dolore deficere. Veruntamen cùm Patres in electione persisterent, coactus est obedire; & propria volũtate calcata, vel inuitus ponderosum onus portare. Suscepto autem magistratu, incipit quæ sui muneris sunt, perlustrare: atque compositis primitùs quæ ad obseruantiam Eremitarum, & Fontisboni pertinebat: egreditur foràs membra (vt vocant) loci, ecclesias, ac possessiones, vt fieri solet, visitare. Inter hæc in villam quandam Eremi, quam Vineam vulgariter vocãt, descendit, colonos & quę ibi agebantur, recognoscere volens: cumq; illic in cubiculo quodam solus horarias preces persolueret, ecce tres famosissimi illius

regionis grassatores (vulgò Banniti) domum ingressi, vbi sit hipocrita ille, furia inuecti, clamitant, ac domus inferiores mansiones furore magno intrant, eidem insidiantes. Quibus, nisi Frater eius socius prudenter obuiasset, proculdubio vir Dei gladijs impiorum occubuisset. Cuius verò impulsu, seu quo dæmone agitati infelices illi tantum facinus perpetrare voluissent, non satis compertum habeo: neque vulgatas huius facti suspiciones propalare fas est. At vir pius tãtũ vitæ discrimen Dei prouidentia euasisse recognoscẽs, ad orationem se illicò conuertit: in qua gratiarum actione dũ feruenter instaret, in longum mentis excessum rapitur. In eo verò excessu, sicut qui eum (discipulos ædificandi causa) referentem audierunt, affirmãt: penitùs in suo peregrinandi proposito est confirmatus: ita quidem vt nulla in eo remanserit ambiguitas, sed firma exorta est in ipso dubiorum omnium resolutio. Vnde in se reuersus, & animi libertate perspecta, diù quasi admirans quid hoc esset, longaque ipsius nouę mutationis discus-

ſione habita, in hæc verba prorumpit. Magna eſt miſericordia tua Domine: tu enim eruis ſperantes in te: ecce eruiſti me de laqueo venantium foris; & intus liberaſti ab omni anxietate cor meum: nunc demum volũtatem tuam, ni fallor, manifeſtùm intuens; facilè & quid mihi faciendum ſit, intelligam. Ecce ne ampliùs titubaret animus, cauſam diſcedendi mihi dediſti. Non enim fruſtrà dixit Veritas ipſa: Cùm perſecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugite in aliam. Ne videlicet, noſtrę ipſius ruinę ſimul & alterius anſam præbeamus. Tu, inquã, iſta ſuper me euenire permiſiſti, quò ego fugiens, tuam ſequar voluntatẽ. Sed vndiq; mihi anguſtiæ ſunt: nam ſi diſcedens, ſacram Eremum deſeruero, ac Patres venerabiles, fratresq; meos dereliquero, hominũ indignationem incurram, atq; conuicia multa non effugiam. Tùm labores, qui me in arduo negotio, tamq; longa peregrinatione expectant, nõ parum terrent animum meum. Veruntamen ſi propter iſta, ſanctam inſpirationem ſequi contẽpſero, Spiritui ſancto reſiſtere videor,

ideoq; iudicium Dei non effugiã: atqui melius eſt, inquit ſcriptura, in manus hominum incidere, quàm in Deum, qui bonus eſt, peccare. Reſtat equidem, vt ad ſanctorum Patrum noſtrorũ, Benedicti, & Romualdi exempla confugiam: qui ſimiles ob cauſas & prælaturas depoſuerunt, & peruerſos homines fugientes, locum mutare conſueuerunt. An quod ſanctiſſimis viris licuit, mihi non licebit? Cur ego, quorum diſcipulus eſſe glorior, imitator non ero? Nunquid Sanctos erraſſe dicemus? Abſit. Iuſti enim ſpiritu Dei aguntur. His denique rationibus, alijsq; multis ritè conſideratis, Sanctorum veſtigijs inhærendo, Camaldulum relinquere, & furentibus aduerſarijs cedere decreuit. Verùm antequàm quicquam inciperet, volumen Conſtitutionũ, quod iam excuſſum habebat, vulgauit. Deinde Romam Leoni ſummo Pontifici omnia, quæ facere decreuerat, manifeſtaturus, ſe conferre decreuit: quò cùm perueniſſet, ab ipſo Pontifice benignè accceptus, eidem mentem ſuam fideliter exponit. Re audita, gauiſus valdè

dè Pontifex verbis multis deuotum oratorem hortatur, ne à cepto desistat: & quicquid per ipsum petitum fuit, libentissimè confirmat. Immò in hoc saltem à Deo inspiratum Pontificem apparet, quòd cùm Paulus petita vltra mare tantùm sibi licere postulasset, ille proprio motu clausulam adiungi iubet: vt, scilicet, cōcessione hac specialiter in Italia, & generaliter vbiq; terrarum liberè vti posset. Summa autem concessionis hæc est: vt liceat Paulo, & socijs ei adhærentibus institutum Eremiticum Camaldulense in Italia, & vbique terrarum, citrà & vltrà mare, ad Indos vsq; siue Antipodas ad libitum dilatare: noua Eremitoria condere, erecta suscipere, seu de manu largientium acceptare. Item venientes ad se nouitios recipere, & habitu induere, eorumq́; professiones admittere: necnō omnia sibi benè visa tàm in victu, quàm vestitu statuere, ordinare, corrigere, restringere, atq; mutare (dummodò à substantialibus Regulæ non deuietur) plena sit ei, ac suis in perpetuum facultas. Quibus addita est ab omnibus

Prælatis,

Prælatis, & ſpecialiter eiuſdem ordinis Camaldulenſis, ac ſuperioribus quibuſcunque pleniſſima exemptio. In eodem Diplomate Congregatio hæc, ſocietas Eremitarũ ſancti Romualdi ordinis Camaldulenſis nuncupata extitit. Cui inſuper ſocietati à ſancta Sede Apoſtolica omnia priuilegia, & indulgentiæ ſacræ Eremi, ac totius Religionis: atque adeò priuilegia, & immunitates cuiuſcunque alterius Religionis, ſine exceptione aliqua, benignè conceſſa fuere. Acta autem, geſtaque ſunt hæc Romæ 22. Augusti, MDXX. Taceo hìc breuitatis cauſa, quanto fauore eandem ſocietatem proſecuti ſunt Adrianus Sextus, Clemẽs Septimus, & Paulus Tertius, Pontifices Maximi. Qui eidem quicquid alijs quibuſcunque congregationibus, pijs locis, aut etiam priuatis perſonis à quocũque Pontifice, & quocunque tempore conceſſum reperitur, largiſſimè ſunt impartiti. Quæ omnia in ſuis reſcriptis pleniùs videri poſſunt.

DEPOSITA MAIORATVS DIgnitate, Camaldulum relinquit. Cap. XV.

ERVNT fortaſſis, qui hìc vniuerſa tàm priuilegia, quàm indulgentias, & immunitates prædictas deſiderent ad verbum expreſſa: quod nobis non expedire viſum eſt: tùm quia tot inſtrumenta reſcribere moleſtum foret, tùm quia legentem inaniter nimis occuparet. Sanè nos ſatis vniq; ſufficere exiſtimamus, ſi quæ ad plenam cognitionẽ rei, de qua agitur, ſimpliciter fuerint enarrata. Re igitur in vrbe tanta fęlicitate, ac facilitate peracta, tot etiã (Deo pręordinante) gratijs momẽto vno obtentis, inque ſuo ſaluberrimo propoſito fortiùs confirmatus optimus Pater, Camaldulum reuertitur. Quò cùm primũ venit, Patres de more, loco ſolito cõgregari iubet: quibus in pleno conuentu quicquid abſens geſſerat, ſigillatim enarrauit; diſcedendiq; animum aperto ore exponens. At ne quid impedimenti ſupereſſet, dignitati Maioratus, quo fungebatur,

batur, intrepidus renunciauit. Nec certè causas, propter quas abscederet, illis voluit occultare: ex quibus plenè cunctis patere potuit sui discessus ratio. Postremò de facultate sibi à Sede Apostolica circa ampliandam Religionem attributa, omnes palàm reddit certiores: nimirum vt eis scientibus, nec quicquã ignorantibus, opus suum inchoaret. Atq; de his omnibus per ostensionem supplicationis firmatæ, riteq; more solito curiæ expeditæ, plenã eisdem auctoritatis suæ fidem fecit: ne vtique quis eum temerè arguere, vel impedire tentaret: re tandẽ corã omnibus vulgata, scinditur incertũ studia in contraria vulgus. Nam eorum quidam rem summoperè approbantes, laudant sanctum viri propositum: quidã hominem stulto similem reputantes, opprobrijs afficiunt, atq; irrident, eiusque inceptum, tanquàm temerarium condẽnant. Veruntamen ex vtraq; classe, haud multò pòst, nonnulli fuerunt, qui relicta Camaldulensi Eremo, eundem libenter secuti sunt: cui dexterã dantes, associati in omnibus, & per omnia ad finem vsque

adhæse-

adhæserunt. Inter quos vitæ, & morum integritate præcipui, Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Triuisanus Venetus, Eremitæ ambo Sacerdotes: necnõ Oliuus Conuersus fidelissimus, ei deinceps in omnibus laboribus, & ærumnis indiuiduus comes. Ij omnes posteà in noua societate fideliter perseuerãtes, suis sanctis exemplis multos ad conuersionem, & conuersos ad perseuerantiam excitauerunt: quorum tamen laudes suis in locis patefient. Peruenit vtique ad aures Delphini huius facti non piger nuncius, quo accepto, quanto dolore affectus fuerit senex (valdè enim eũ diligebat) satis ipse duabus Epistolis, ad Iustinianũ Bergomensem Eremitam datis, ostendit: in quibus mirari, ac de præfata mutatione sui Pauli dubitari nõ cessat; & quodãmodo præ nimio affectu rem improbare videtur. Non tamen molestè ferenda sunt verba eius, cùm sapiẽter more suo, duobus verbis cuncta moderetur; dum euentum rei expectandum esse dicat. Siccine Delphine bone, siccine cum dilecto tuo agis? Expecta, quæso, euentũ vt promit-

tis:

tis: quo agnito, haud quicquam dubito, te palinodiam recantaturum. Nondum certè obieras diem, cùm Paulus multorum Eremitarum Pater factus est; adhuc in viuis agebas, cũ tu ſimul & Camaldulenſes vniuerſi eum cũ omnibus ſuis vobis ſocium fieri voluiſtis. Nõ amiſiſti loquelam profectò, donec illaudatum, iterum ad plenum laudaueris: diſplicuit tibi diſceſſus eius pro tua in eũ charitate, ſed ſcimus minimè diſplicuiſſe profectũ, dũ quaſi ex abſcondito fonte (vt tu alibi ais) in plateas, iuxta ſcripturæ verba, vberrimos cernebas emanaſſe riuos. Sed iam ad eum, qui iter facturus eſt, reuertamur: manſit enim die illa cum ſequenti nocte in Eremo non ocioſus. Quidã videlicet, eum priuatim conuenientes, benignis verbis beneuolentiã ſuam ei oſtẽdentes retinere pertentabant; alij rem apertius intelligere cupiẽtes, varijs quęſitis ſciſcitãtur, quid nam eſſet facturus. Cumq; ille in Hiſpaniam primũ ſe nauigaturum; ac deinde, relictis Herculis columnis, in Indiam, aut (quò Deus deduxerit, tranſiturum planis verbis nunciaret,

ret, ſtupebant omnes tantæ nouitatis motum in homine pio pariter ac doctiſſimo audientes: atque rem altiùs conſiderantes, ſic apud ſe aiebant: Aut hic inſanit, aut ſpiritus Dei in eo latet; & nobis ignorantibus, aliquid magni per eũ operari intendit. Alios, quos Paulus mȩſtos agnoſcebat, blando ſermone, quo ille ſingulariter dotatus erat, cõſolabatur. Et ſic vnicuique prout melius poterat, ſatisfaciens, diem illam non ſine fructu conſumpſit. Nocte verò ſequenti lectum non aſcẽdit, quinimmò in propria cella in oratione pernoctans, ſe totum diuinæ voluntati reſignauit, omnia quæcunque acturus eſſet, eidem dirigenda liberè relinquens, proteſtatus ſæpe ſe nihil ſecũdum propriam voluntatem agere, neq; cogitare velle. Poſtera autẽ die ad ortũ Solis, re ſacra peracta, ad ſuum Michaelẽ recluſum ſolus ſe confert, qui iam omnium conſcius, primus ſatis alacri vultũ venientem ſalutauit: quod non ſine admiratione animaduertens Paulus, ait. Exiſtimabam ego te grauiùs cȩteris caſum hunc laturum, quẽ tamẽ lætabundo

ſimilem

ſimilem aſpicio. Ad quem Michael : Si carnis affectum ſequerer, te lachrymis libenter redimiſſem, ſed ſpiritus de tuo iſto dono tibi congaudere iubet. Cũ verò inſtaret Pater, vt manifeſtius dictum ſuum faceret: obmutuit ille, nec amplius locutus eſt verbum. Tandem mutuis amplexibus, oſculisq; datis, ab inuicem nõ ſine dulciſſimis lachrymis recedũt. Inde Pater aſſumpto ſibi in ſocium Oliuo cõuerſo, cuius ſuprà mentionem fecimus, ad oſtium Eremi diſceſſurus tendẽs, ecce obuiã ei quotquot erant in domo illa Fratres, quem hinc inde circundantes, hic manum apprehẽdit, ille collum amplectitur; alter fletibus, alter vocibus, & ſingultis omnes vno ore conclamant, ne ſeſe deſerat, neve ſuo aſpectu, ſuaq; ſancta conuerſatione priuet. Luxit & ipſe, alioquin vir fortis, tanta filiorum ſuorũ charitate victus; atque præ dolore concepto, ne vnum quidem conſolatorium verbum eis dicere potuit: ſed benedictione data, oſtij limen tranſilijt. Deniq; multa Patrum inſtantia deprecatus, vt apud Fontem bonum equum cũ famulo

quodam

quodam aſſumeret; ipſe omninò recuſans, baculũ manu tenens, pedes ad montem Aluerniæ, octo paſſuum millibus diſtantem, in domum beati Franciſci, illa die ſe contulit.

ALVERNIAE IN SACELLO beati Franciſci orat. Cap. XVI.

IN sacro Aluerniȩ monaſterio nouus peregrinus noſter à Patribus illis, quibus ipſe benè cognitus erat, (nõ ſine admiratione, eò quòd pedeſtrẽ viderant venientem) multa benignitate recipitur, ac ſumma charitate tractatur. Vltrà cõmunem Eccleſiam per loca deuota, quæ illic multa habentur, à duobus ſenioribus comitantibus deducitur, qui eum de omnibus, quæ ibidem ſingulis in locis olim contigerant miraculis, pijſſimis verbis inſtruebant. Pòſt varia deuotiſſima oratoria, criptas, & miraculoſam illam ipſius montis ſciſſuram, tempore Paſſionis Chriſti factam, diligenter perluſtrata; ad ſacrum ſacellum, in quo ſanctiſſimus Dei ſeruus Franciſcus ſemper

vene-

veneranda viuens ſtigmata, hoc eſt, veſti gia clauorum Crucifixi ſuſcepit, ventum eſt. Vbi cùm paulisper (vt ferè fit) ſimul oraſſent, venerabiles illos ſenes rogat, vt diſcedentes, ſe ibi aliquantulum ſolũ dimittant. Factus itaque voti compos ferventiſſimus vir, excluſo quoque Oliuo foràs, genibus flexis ad ſacras Crucifixi, & orantis ſimilis Franciſci effigies oculos, modò ad illam, modò ad iſtam cõuertit. Perpendit totis animi viribus nudum in cruce pendentem Ieſum, & ferè nudum videt ante eum orantem Franciſcum: cõſiderat vulnera pendẽtis, & ſtigmata cõtemplãtis intuetur: ſtupet miſericordiã Saluatoris, nec capit mens humilis ſupplicantis feruorem. Accenſus denique meditationibus iſtis in quodam mentis exceſſu ſupra ſe eleuatus immobilis ad mediam vſque noctem permanſit: inde quaſi in alium virum mutatus egrediẽs. Quid interim viderit, quidve illic didicerit, neſcimus: hoc vnum ſaltem, ſenioribus noſtris referentibus, nouimus: ex illa videlicet oratione tantum paupertatis, ac nuditatis amorem imbibiſſe, vt

nunquàm

nunquàm, dum illi vita comes fuit, eius
ſit oblitus, nec alia magis re delectatus.
Factus vtique non ſolùm veræ pauperta
tis amator, verùm etiam conſtãtiſſimus
nuditatis cultor, atque vtriuſq; tenaciſſi
mus obſeruator. Adeò certè, vt manè fa
cto, poſt Miſſarum ſolẽnia, cùm egreſſus
Cœnobio, de monte Peruſium verſus de-
ſcenderet; ad ſuum itineris comitẽ ver-
ba dirigẽs, per duarum horarum ſpaciũ
de virtutibus, boniſq; paupertatis, deq;
diuitiarum incõmodis continuò ſit locu
tus. Cuius ſermonis tanta fuit ſpiritualis
virtus, & efficacia, vt ipſum auditorẽ mi-
rum in modum ad eam adamandam in-
flammaret, & eiuſdem perpetuum cuſto-
dem efficeret: quod quidem non illi in-
frugiferum extitit, cùm in poſterum ſpi-
ritu pauper factus, feruentior multò, quã
anteà fuerat, euaſerit: immò ex oliuo, ſeu
potiùs ex oleaſtro amaro, in ſpecioſam,
atque fructiferam in domo Dei oliuam
penitùs ſit mutatus. Rurſus opere pretiũ
eſt ſcire, neque magiſtrum, neq; diſcipu-
lum vſque in illam diẽ paupertati fuiſſe
addictos: qui licèt diuitias nõ affectarẽt,

nihilominus

nihilominus rerum cõmoditatem liben-
ter vbique amplexi ſunt. Prætereà in ip-
ſo montis deſcenſu contigit, vt Paulus
(cui res inſolita erat pedibus iter face-
re)ſæpius vbi opportunitas dabatur, vel
lapidi aſſideret, vel baculo innitens præ
laſſitudine pauſare cogeretur. Quod ani-
maduertens ſocius compaſſione motus,
cùm oppido (quod plebem Sancti Ste-
phani appellant) appropinquarent: O
Pater, inquit, quàm difficilè me ſequaris
video; ideoq; ſatius erit equũ, vel aliud
iumẽtum hìc cõducere, quo veharis. Ad
quem Pater: Et vnde tu mercedem ve-
cturæ ſolues? Meum, ait ille, ſubridens,
erit iumentum conducere; tuum verò,
conductionem perſoluere. Mihi ſanè, re-
ſpondet, Pater, neque pecuniæ ſunt, neq;
crumena: pauper Chriſti ſum, in eum cu-
ram iactaui meam, ipſe me enutriet, atq;
deducet. Et nunc ſcito, frater mi, ſi mecũ
pergere velis, te pauperem vitã acturũ:
neceſſe enim eſt nos in poſterum multas
corporis neceſſitates pati, multosq; tol-
lerare labores: quæ cõditio, ſi tibi forſan
non arridet, à me (quod non ſpero) di-

M ſcedas

ſcedas oportet. Ego, inquit Oliuus, à te diſcedam? egonè te deſeram, Pater mi? profectò ſemel pollicitus ſum, & nunc iterum tibi coram Deo pollicitationem confirmo; perge quò vis, ſemper me (dũ tibi gratum fuerit) indiuiduum comitẽ habebis. Tunc Pater valde gauiſus eſt, & ad perſeuerantiam, patientiamque eum longa oratione hortatus, multa de æterna retributione, quę à Deo ſuſtinentibus ſe parata eſt, verba fecit. Inter hæc Oliuus ſciens eum ante Eremi diſceſſum ab œconomo domus ſacculum pecunijs refertum, ſe vidente, accepiſſe; mirabatur quomodo tam conſtanter atteſtaretur ſe nummos non habere. Tunc demum illi in mẽtem venit, ficta cauſa, ſe in ipſius diei crepuſculo ab Eccleſia ad interiora Monaſterij à Patre miſſum cuidã ſeniori neſcio quid parui momenti, dicturum. Ex quo plenius intellexit, ſe abſente, pecunias vel pauperibus (quorũ illic copia eſſe ſolet) vel certè ipſi mendicantium Eccleſiæ ſimul cum crumena erogaſſe: quod ita reuera factum extitiſſe, haud multò pòſt ex alia coniectura certior fa-

ctus,

ctus, exploratū habuit. Denique his mutui, sanctique amoris, ac veræ dilectionis colloquijs inuicem consolati, per decliua montis descendentes, læti ad ima peruenerunt.

MIRABILE QVID PAVLO contingit, & ab idiota docetur. Cap XVII.

RElictis ergo Alpium collibus, trāsactoq; Thyberis aluo, in cāpestribus positi, læti ambulabant peregrini nostri: atq; inuicem confabulantes, sine tædio iter, & tempus pertranseūt. Interim Paulus animo quæ ad futuram peregrinationem necessaria sunt, qua via, quibusve medijs tam præclarum facinus peragēdum sit, cogitare cępit: quæ dum mente peruoluit, tanta illi facilitas in rebus agendis se offert, vt nullo negotio iam peracta vniuersa censerentur. Nil ei amplius obstare, nedum eum impedire, quò minus ad eą, quæ semel apud se destinauerat, pertingeret, videbatur. Prospicit intuitu mentis (vt

ſæpe nobis cogitantibus cõtingit) Tirrenum mare tranquillum: cernebat pòſt tantum interuallum nauem, ſiue triremẽ qua illud transfretaret, non ſolùm paratam, ſed etiã eum in portu Genuenſi expectantem. Rurſus Hiſpaniã ſaltu tranſilire, & Luſitania iã à tergo relicta, Oceanum ſulcans, appropinquat ad Indos. Nihil ei obuiam, nullum obſtaculum occurrit: ſed omnia plana, & expedita fallacis imaginationis luce apparent. Nec deſinit interdum tantæ excogitatæ fęlicitatis ſociũ participem facere; & omni fiducia, animoſitateq; adimplere. E contrà ſimplex Oliuus ei omnia laudare, cũcta ſine ſyllogiſmis probare pergit: & etiam aliquid de ſuo quadã ſimplicitate addere audet. De qua tandem ficta proſperitate inuicem ſermocinantes, diem illam ſatis iucundè tranſijſſe, vnuſquiſq; exiſtimare poteſt. Sequentis verò diei hora meridiana, vltra ciuitatem Caſtelli, iuxta flumen iter agentes, non longè ab oppido, quod Fractã incolæ vocant, itineris labore feſſi, & Solis ardore ęſtuãtes, ſub quadam frõdoſa quercu, paululũ

à via

à via ſemota, quietis cauſa aſſident: vbi ſopore grauat[9] vterq; eorũ obdormiuit. Non puto myſterio vacare, propter ea quæ ſequuntur, in prædicto loco eos à labore quieuiſſe: cùm ex eo Mons Corona inde per tria milliaria diſtans, oculis intuentium totus à radice ad cacumẽ vſq; aperiatur, nec aliunde meliùs conſpici poſſit. Neq; abſurdè à ſenioribus noſtris dictum exiſtimo, voluiſſe Deum in cõſpectu illius Montis eos ſoporari: in quo noua Pauli Congregatio in poſterum fundari, ſedere, atque in perpetuũ quieſcere debuerat. Iam ergo ſomno refecti itinerantes expergefacti aſſurgunt, & iter ſuũ reaſsumẽtes ibant: cũ ecce repẽtè, quaſi turbine, quodã caſu, inuolutus Paulus, turbatur, atque agendorum mentem inuaſit obliuio. Vnde quò pręcipuè tenderet, quidve ſibi magis expediret ita dubitare cępit, vt nulla ei certa determinatio occurreret. Hoc vnũ immobile apud ſe cõtinuò manſiſse referẽs ipſe aiebat: in deſtinato ſemel opere conſtanter eſse perſeuerandum, modo & loco operandi mente elapſis. Sic equidem ſolet Deus

multa Sanctis suis inspirare, quæ tamen non vult modo, quo ipsi desiderāt, adimpleri. Hinc negatum est Dauid vehemēter desideranti, templum Domini ædificare. Disposuerat Paulus ille magnus doctor Gentium, & ministeriorum Dei dispensator, atq; Archanorum conscius, in Hispaniam prędicandi Euangelij gratia proficisci: sed tamen aliò impulit eum spiritus, & uinctus ductus est Romam: Hispaniam vidit nunquàm. Lubet hìc & nostri sanctissimi Patris Romualdi exemplum referre; qui ad fines vsq; Pannonię uenit, infideles ad fidem conuertendi, ac martyrij suscipiendi ardentissimo desiderio flagrans: nihilominus tamē manu Dei tactus, ac dira febri correptus, inde regredi, & in patriam, quā ipse fugiebat, reuerti coactus fuit. Non aliter sanè agit cum nostro Iustiniano Omnipotens: qui Spiritu suo sancto eum vltrà Sauromatas, trans Gades, vltrà Herculis colūnas: tandem ad recenter inuentos Antipodas in fide docendos, diuino igne inflammauit: quò posteà ire non permisit. Cur ita cum seruis suis se habeat Deus, non

ego

ego perquiram, ne mihi responsum illud Prophetæ meritò obijciatur: Vir, scilicet, insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Erat eodem tempore in suburbanis Eugubij in monte, qui Caluus dicitur (quæ ciuitas ad radices Appennini, vbi mons ille Vmbriȩ iungitur, in ingressu angustissimæ vallis fundata iacet) solitarius quidam, nomine Thomas, Fabrianensis patria: vir tertij ordinis beati Francisci professor, in tãtæ sanctitatis opinione apud vulgus; vt à multis, propter quędam prȩnunciata, & subsecuta, spiritum Propheticum habuisse crederetur: homo literariæ peritiæ rudis, naturali verò ingenio, atque materna lingua satis ornatus. Inter hunc, & nostrum Paulum vetus fuerat amicitia contracta; eaque non in vanitate seculi, sed in charitate Christi ab initio fundata: & ob id nunquàm excidere potuit. Dum itaque Paulus hac mentis confusione vexatur, manenteq; diuinitus immisso dubio: cũ id in cogitationẽ venisset, nec longè ab itinere aberrandum esset; hunc inuisere statuit. Quem in as-

ſueta ſolitaria habitatione incolumẽ, vt optabat, inuenit. Salutat hilariter, & ab eo incredibili charitate ipſe ſuſcipitur. Sacellum ambo orandi (vt aſſolet) cauſa ingrediuntur: oratione facta, in mutuam congratulationem diffunduntur: deinde domunculam ingreſſi, reficiuntur ſimul: refecti, gratias Domino ꝓ beneficio red dunt accepto. Tunc demùm ſenior; vnde, inquit, te habemus ò Paule; quisve ſpiritus te huc venire coegit? Mihi quidem cogitabundus videris, mæſtiorque ſolito: pedeſter accedis, & alius quodãmodo factus appares. Dic ſodes, quid te negotij angit? Cui ille, quicquid in votis erat, ſeruato ordine, pleniſſimè expli cuit. Deinde narratione abſoluta, cunctisq́; attento auditori ritè explanatis; ſenex grauitate quadam in hunc ſenſum allocutus perhibetur. Compellunt me, dilectiſſime in Chriſto, diuturnæ inter nos amicitiæ neceſſitudo, ſyncera beneuolentia, Religionis vinculum, ac mutua charitatis obligatio: ne quid conſilij, quod (largiente Deo) mente conceperim, te celare auſim, nec poſſim. Eremiticam

ticam vitam,ſanctiſſimumq́ue beati Romualdi inſtitutum latiſſimè amplificare velle te,magnoperè laudo:ad Indos,ſiue Antipodas transfretare, omninò laudare non valeo. Idq́ue maximè, tùm propter innumera, ac nimis certa pericula, paſſim tibi imminentia: tùm etiam propter difficultatem, incertitudinemq́ue, quam in ſe ipſo negotium afferre videtur. Putas ne, venerande Pater, miſterio vacare, quod te iam ad iter accinctum conſilium, vt refers, inopinatè deſeruerit? Proq; conſilio mentis ambiguitas, ceù caligo quędā ſit ſubſecuta? A Dño hòc factum eſſe, nulla me dubitatio tenet. Etenim in vitis Patrum inter legendum, relatum reperij, magnum Heliſeū, cui in ſpiritu ferè oīa arcana patebāt, veniente ad ſe Sunamitide, dixiſſe: anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me. Beatiſsimus Pater meus Frāciſcus, qui aliud iam præter Deum, nec ſcire,nec cogitare potens erat,iuſtus ſcilicet, & ſpiritu Dei actus; cùm in ſolitudinem ardore animi duceretur, ita mente confuſus eſt, vt quid ſibi agendum,

quòve

quòve eundum foret, penitùs ignoraret? Quæ nebula tam diù ipſum obtenebratum tenuit; donec longiſsima ſua, & ſuorum oratione, ad prædicationem ſe fuiſſe electum, audire diuinitus meruit. Sic Deus electos ſuos aliquando dubios reddit, ne proprio ſenſu, ſiue induſtria freti pro libito currant, ſed ſemper cum timore eius voluntatem perquirant. Sic tibi temperandus erat nimius peregrinandi ardor: ne ſpirituali zelo bacchatus ad impoſsibilia tendas. Plura tibi exempla recenſere, vtpotè in ſacris, Sanctorumq́ue omnium ſcripturis peritiſsimo, ſuperfluum eſſe reor. Si tamen verbis meis aliqua eſt adhibenda fides, accipe pauca, quæ pro modulo ingenioli mei proferam. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus; nec ſunt ponendæ margaritæ ante porcos: non ad Barbaros, non ad indomitas nationes te mittit Deus: ad quas tranſeundũ, exceſſus pij amoris parùm diſcretè te inuitat. Moderare pauxillum iſtam tuã, etſi ſanctam, cupiditatem: & noli ambulare in mirabilibus ſuper te; ſed humiliter il-

la tantùm, quæ verisimiliter potes, aggredere. Ea igitur, quæ in Capharnaum facere paras, fac priùs hìc in Patria tua. Forsitan Italia, quæ certè latissimè patet, incapax est propositi tui? Minimè quidem. Vbi namque terrarum plura, aptioraque loca deserta inuenies? vbi plures, aut faciliores ad ea incolenda reperies? Postremò non tàm vtilis tu Indiæ populis, seu Antipodum gentibus futurus es, quàm Italis, non solùm profuturus, sed etiam necessarius existis. Quantò siquidem tēporibus nostris dissolutiùs viuitur; tantò magis qui ad pœnitentiam, non verbo (cùm hodie tot Prædicatores non capiant Vrbes) sed exemplis, atque operibus homines reuocet, desideratur. Restat nunc, vt vicissim tibi animum meum paucis aperiam. Si longiùs eas, pro absente (si tamen oratio nostra aliquid momenti apud Deum habet) orare non desinam: si verò remanens, consilio meo acquiescas, scito me tibi & socium, & adiutorem esse futurum: nisi fortè Dei voluntas contraria dictet. Nam, vt verum fatear,

tear,

tear, hìc iam dudum inuitus habito: putà frequentia ſecularium infeſtatus: atque adeò propter deprauatos quorũdam mores, penè corruptus. Ac proindè te duce, aliò pergere non dubitabo: quod ſolus facere non ſum auſus. Tunc Paulus aſſurgens, lachrymis præ gaudio perfuſus ſenem iam ſilentem amplectitur, eiq́ue gratias tùm de ſano, ſalubriq; conſilio, tùm de ſocietate promiſſa agit ingentes. Et quanquàm non à primo cõſilio prorſus mutatus, neque pij amici nõ inculto eloquio omninò acquieſcẽs: nihilominus mallens alterius ſentẽtiam ſequi, quàm propriæ voluntati pertinaciter inſeruire, Thomę fideliter ſuadẽti humiliter adhæſit. Hijſdem temporibus in Monaſterio quodam Oliuetanorum ſancti Secundi, quod extrà mœnia Eugubij poſitum eſt, vir quidam Cardinalis Vrbinatis nepos, cui nomen erat Galeatius, ex nobili familia de Gabrielis, Fanenſis ciuitatis, quietis cauſa manebat. Qui cùm natura mitis, animoq́ue pius eſſet, Mundi facinora abhorrẽs fratribus, familiaribusq́ue ſuis; eò quòd in

iurgijs multis, inimicitijs, & factionibus malis continenter versabantur, commisceri noluerat, sed in remotis locis solus agere Deo deuotus, maluit. Hic consolationis, ac cõsilij causa frequenter Thomam solitariũ inuisere solebat: cui nec rarò solitudinis amorem, quem habebat, verbis ostenderat. Sed cùm diues esset (possidebat enim titulo commendæ Abbatiam sancti Saluatoris Montis Acuti, dioecesis Perusinæ, cum alijs non nullis beneficijs) non poterat adhuc nudum sequi Christum. Hunc itaque simul cum Paulo adijt Thomas: cui, cùm rem inter eos gestam manifestasset, sibi placuisse & verbis tunc, & posteà operibus satis abundè comprobauit. Nimirum eos hortatus est, vt intentum prosequerentur: inuentoq; loco, si perseuerarẽt, se pro facultatibus illis non defuturum. Addidit præterea, quòd si aliquando à negotijs seculi se Dei munere extricaret, eos, omnibus derelictis, se esse secuturum: quæ omnia plenius quàm promisit, occasionem ex voto consecutus, vt fidelis sponsor, adimpleuit: de quo

tamen ſuo loco pleniori ſtylo tractabitur. Præſenſerat iſta, quæ diximus, frater quidam nomine Raphael, natione Hiſpanus, ordinis Prædicatorum: qui tunc in conuentu Sancti Dominici eiuſdem vrbis religiosè degebat: vir Theologica doctrina non mediocriter ornatus; morum integritate clarus, concionandi gratia mirabiliter dotatus: qui cum Patribus colloquio habito, & per aliquot temporis ſpatium re maturè cõſiderata, tandem eiſdem aſſociatus eſt.

FINIS SECVNDI LIBRI.

ROMVALDINÆ, SEV EREMITICAE *MONTIS CORONAE* CAMALDVLENSIS ORDINIS HISTORIÆ.

Liber Tertius.

PAVLVS EREMVM CVM ſocijs intrat. Cap. I.



Tsi in omnibus operibus ſuis mirabilis ſit Deus: attamen in Sanctis ſuis, propter ſtupenda, quæ in eis operatur, mirabilior exiſtit: nam dũ eos leuiter errare permittit, rectiùs dirigit: dumq́ue tentari ſinit, altiùs prouehit: atque omnia eis, nempè diligentibus ſe, in bonum cooperari facit. Permittit etenim ſępenumerò dilectos ſuos falli, & ab ignorantibus doceri: ſinit eoſdem in varias tentationes incidi, & ple-

rumque

rumque ab impijs corripi: necnon ab ærumnis ſuis, ſi quas aliquando patiuntur, à ſimplicibus, rudibusq; viris ſubleuari: quod proculdubiò magna Dei prouidentia fit; ne magnitudine gratiarum, ſpiritusve cęleſtibus donis ſublati, in ſuperbiam incidant; ſed potius propriam agnoſcentes miſeriam, coram Deo ſuo proſtrati, toto corde prorſus humilientur. Hinc eſt, quod in Exodo legitur, magnum Dei amicũ Moiſen in populi regimine erraſſe: ideoq; à Ietrone cognato ſuo homine barbaro reprehenſum, edoctumq; fuiſſe. Hinc Gentium doctor Cephæ Principi Apoſtolorum in faciem reſtitit, & aliter eſſe in lege Domini ambulandum oſtendit: dum ipſe gentiliter viuens, cogeret Gentes iudaizare. Quid ergo mirum, ſi Deus Iuſtinianum noſtrũ à vetulo, ignaroq; Thoma corrigi, & inſtrui voluit? Tali vtique modo ſanctiſſimum opus, hoc eſt, Religionis fundandæ negotium, iuxtà Dei voluntatem, initiũ ſumere oportebat. Iam igitur quatuor vnius voluntatis, in Spiritu ſancto cõgregati, atq; coniuncti, in ſolitudinẽ tendũt.

Inter Appennini colles, quà ex Piceno in Vmbriam trāſitus datur, vallis quædā eſt, cui immaniſſima rupis imminet, ex alto emittens aquæ præcipitem riuum; qui vallem ipſam murmure quodam nō iniucundo complet. Sub rupe ipſa antrū apparet, in quo eſt antiquiſſimum ſacellum diuo Hieronymo dicatum. Antrum verò olim luporum receptaculū fuerat, vbi fœtus ſuos edebāt,& catulos ex prę-da vicini pecoris alere conſueuerant. Vnde antiquitùs vallis illa ab indigenis Paſcilupum appellata eſt: quod nomen & vallis, & viculus quidam ad vallis ima ſitus, in hunc vſque diem retinent. Ante cauernam hanc, triginta paſſuū plus minus interuallo, rupis in planum, inq; arcus modum protrahitur, rurſus in abruptum declinans. Ac licèt locus iſte arduus, inuiusq; exiſtat, tamen ad octo milliaria populoſam habet Saxumferratū Bartoli Iuriſconſulti Patriam. Et ex alia parte Fabrianum inclytum oppidum, ſanctiſſimi Patris Noſtri Romualdi ſepulchrū. Ad has cauernas vnicus datur, ſecundùm vallem, iuxtaq; deſcendentes

aquas, arduus, atque horridus aſcenſus. Reliquas verò partes præalta nudi ſaxi rupis concludit. Locus iſte ex luporum fouea, in latronum ſpeluncam iam olim fuerat conuerſus. Factum eſt autem, vt id temporis, ſeu paulò antè ex eadem ſpelunca eiecti fuerint violenter nonnulli facinoroſi homines falſæ monetę fabricatores; eò quòd eſſent paſtoribus, & cunctis circum circa habitantibus infeſtiſſimi. In hunc ergo locum Thomas, & Paulus cũ ſocijs, nempè Raphaele, & Oliuo, primò deueniunt: quo vacuo reperto, ſeſe (vice expulſorum) in latebris illis locant. Cepitq; res iſta tandem per vicos, pagosq; vicinos, fama volante, vulgari: quin & intra dies paucos ad vrbes, & caſtella peruenit rumor. Confluunt illuc vndiq; homines, quaſi Angelos è cœlo dimiſſos, nõ ſui ſimiles mortales viſuri: quorum multi non vacui apparebant in eorum cõſpectu. Nam quidam panes, nonnulli vinum, plerique legumina: nec deerant qui arboreos omnis generis fructus Dei ſeruis cum charitate deferebãt. Interim nõ dormit Leuiatan, vt Dei famulos

mulos etiam à ferarum criptis sua malitia, hominum ministerio expellat. Nunquàm proprium dominum nouerat sacellũ Hieronymi, vtpotè nihil in reditibus habens; & ecce tũc presbyter quidã Pascilupi plebanus ferox, cõsurgit furore maximo, contra pauperrimos viros inuectus; ac propriæ Ecclesiæ quodã antiquæ vnionis iure prætenso, tanquàm è propria domo eos deijcere tentat. At Paulus ad Leonem Põtificem properat, qui re audita, eidẽ & socijs in perpetuũ capellam, cum ambitu suo concedit; & plebanus assensum præbuit: tunc etiam nouæ societatis priuilegium in forma breuis à curia obtinuit Pater, quod hactenus in sola supplicatione habuisse superiùs diximus. Iam de loci dominio securi noui possessores, manus licèt insolitas haberent, ad laborem se accingunt: nam & latibula rupis claudere, & cauernæ foramina in habitacula sibi conuertere (quibus imminens saxum pro tecto est) proprio labore, atque industria nituntur. Cùmque illic ligna tàm ad ædificandum, quàm nutriendum ignem deessent,

ſent, certior factus de vita, & neceſſitate eorũ Dux Vrbinas (ĩ cuius ditione rupis illa cõtinetur) eiſdẽ cędẽdi ĩ ꝓpinquiori mõtis parte liberũ vsũ cõceſſit: ſimiliter & Paſcilupi habitatores magna cũ charitate fecerũt. Talibus adiuti noui Christi tyrones, aliquãtulũ cõmodiùs neceſſaria vitæ ſibi parabant; faciliorq́; ſpiritui vacandi præbebatur occaſio, quã ipſi tantoperè ſitiebant. Sed (proh dolor) his fœliciſſimis initijs inuidia plenus nõ ceſſat obuiare Satan. Paulus namque cũ vidiſſet & loci commoditatem, & ſociorum animos ad ſolitariam vitam aptè conuenire: cùmq́; animaduerteret eos omnes ſibi vni ſpontè ſubijci, ſuiſq́; mãdatis vltrò parere; nactus opportunitatem regularem eius vitam ſub vno habitu, & vnius Religionis, nimirum Camaldulenſis, iuxtà pręfatum priuilegium, voto cõmuniter amplectendam proponit. Sex iam tũc erant, quorum quatuor ſine mora eius verbis annuerunt, ad cuncta parati: ſolis Thomæ, & Raphaeli durior viſus eſt ſermo: qui nec habitum mutare, nec votis ſe alicui ſubmittere, ignorante

rante

rante Paulo, iã ab initio apud se ſtatuerant; quibus nihilò ſeciùs placuit, omniũ regimẽ penes vnum reſidere: cuius nutu fierent cuncta. Cauſa recuſationis huiuſmodi ĩ eis diuerſa fuit: ſenior enim rerũ proprietatẽ affectabat: Raphaelẽ decipiebat concionandi ambitio. Tantũ ex hac ſociorum diſſonantia in Paulo inualuit primæ intentionis radicula illa, quæ poſt ſenis primam exhortationem in eo remanſerat; vt parum abfuerit, quin loco deſerto in Hiſpaniam arriperet iter. Maturiùs tamen agens, vt illi ſemper de more fuit, ad ſalubrius conſilium, ac orationes multorum piè viuentiũ confugit; vbique prudenter cum domeſticis agẽs, diſſimulataq; diſplicentia concepta, pacis legem ſincerè obſeruans. Vnde ſic rebus ſtantibus in communi, ad duas cœlibes ſorores, quas habebat, Epiſtola ab eo miſſa hæc protulit verba: Octo ferè ſunt menſes, ex quo locum mutaui, ſed non habitum, neque viuendi modum; immò locum abiectiorem, magiſq; ſolitarium, in maiori paupertate, cum ſodalibus paucis habito. Sum equidem cor-

pore ſanus : nunquã mihi mens lęta magis fuit. Attamen vnamquamq; veſtrum nunc pro me ad Dominum orare, quàm maximè precor; vt ille me illuminare dignetur ad ſuam ſequendam voluntatem. In maximo enim dubio verſor, debeã ne in Italia remanere, an potius Hiſpaniã verſus pergere; inde ad Indos recenter Chriſtianos factos nauigaturus. Nollẽ ſanè hoc in facto errare: ideoq; ad multorũ preces, & p̃cipuè ad veſtras cõfugio, vtpotè certior, quia cum omni affectione orabitis, præ mutuo inter nos amore. Idem ferè ſcribit ad Magnificũ Petrum ciuem Florentinum.

QVANTA DILECTIONE PAtres Camaldulenſes Paulum proſecuti ſunt. Cap. II.

BENE poterat progenitor noſter cum Propheta dicere : Ego autẽ mendicus ſum, & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei: nã cũ in deliberatione moram faceret, & nouellus grex non modicum adauctus eſſet, non erat cuſtodi locus ad eum retinendum ſufficiens,

ciens,neq; paſcua ſuppeditabantur, quibus tot oues paſcere valeret. Nimirum numeroſum armentum Paſcilupi mapalia nõ capiunt: neq; aſpera vallis neceſſaria alimenta producit: quæ res ſatis anxium optimi Patris animũ reddebat: & ecce ſtatim Dei prouidentia præſtò fuit. Nam ille,qui ſolus bonus eſt paſtor, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum: cuiuſq; ſunt oues, & boues, & vniuerſa pecora campi, non diſtulit de loco, & pabulo opportunè prouidere. Etenim Dei negotiũ agebatur, ideo non poterat ipſe agẽti ſeruo ſuo deeſſe,& neceſſaria abundãtiùs non prębere. Quando namq; fidelibus ſuis defuit Dominus? Eodem igitur tempore inquirentes diligenter pijſſimi Camalduléſes, quid de Patre ſuo abséte actũ eſſet:hincq; intelligẽtes in rupe Paſcilupi eum prædicto modo detineri,ſæpiùs aliquos,qui illi noti eſſent, clanculũ mittere conabantur, quò ei ad Eremum reuerti prudẽter ſuaderent.Quibus Camaldulum vacuis redeuntibus, intelligebant difficile futurũ, quod ipſi optabãt:

his tamen non obstantibus, considerãtes loci angustias, rerum inopiam, ac soli illius sterilitatem: inito consilio, quandã inter se sanctam, atq; misericordia plenam astruunt astutiam. Tentantes, scilicet, vt sagaces piscatores, modica esca hamum ambientes, pastorem cũ ouibus capere simul. Quis enim eorum non vehementer optabat amissi Pauli videre præsentiam? Quis non desiderabat tantam Eremi iacturam resarciri? Erant profectò inter Camaldulenses Patres nõ nulli, qui eum ex animo, sineque fictione diligerent: quique discedentem acriter luxerant: nec inter eos inuentus est, qui ei non benè cuperet. Vnde in prima cõuentus celebratione actum est; vt illi, & socijs suis locus Criptarum Massacij, qui de pertinentijs sacræ Eremi tunc temporis erat, ad habitandum cõcederetur. Haud multò pòst, quò maiorem in eum beneuolentiam, mutuamq; charitatem ostenderent, ipsum cum suis (Criptas habitantibus) de familia sacræ Eremi esse voluerunt: quos in ea annumeratos, & constitutos eiusdem conditionis cũ constituen-

stituentibus esse decreuerunt: ac ne nomine tantùm Eremi participes existere viderentur, quandã eis pecuniarũ quantitatem, quasi suppetias mittentes, pro victu necessario in annos singulos assignarunt. Cuius rei extant etiam hodie acta capitularia (sic enim vocant suas ordinationes Camaldulenses) quorum alterum vndecima Ianuarij; alterum verò tertia Iunij, MDXXI. Quo beneficio cũ gratiarum actione per Paulum accepto, ipse cum Oliuo (reliquis cum debito ordine Pascilupi relictis) cõfestim ad Criptas se cõtulit. Vbi tunc temporis Elias Mediolanẽsis Sacerdos, & Antonius Rachenas conuersus Eremitę Camaldulenses, Paulo iã olim Camalduli notissimi, commorabantur. Quem sanè venientem magno cordis iubilo suscipiunt; & brachijs charitatis amplectentes, tanquàm antiquum Patrem suum reuerenter venerantur; eidem libenter se subijcientes. Est autem locus iste in arcta, profundaq; valle situs, intra fines diœcesis Esinæ, ab oppido Massacij duobus passuum millibus distans; Criptarum verò nomen sortitus,

titus, eò quòd ſuper terram nulla eſſent ædificia; ſed in rupe ipſa effoſſa habitacula, foramina veriùs, quàm cellæ, nuncupanda. Quæ quidem non adęquata ſolo, ſed ad cubitus viginti eleuata in medio rupis, quò triginta graduum ſcala, aut eo ampliùs, aſcenditur: neque certè adhuc rei facies mutata eſt, cùm & cellulæ, & oratorium etiam nunc in ſua forma maneant: licèt hodie ſatis adornatus fabricis, & alijs commoditatibus nobilitatus locus appareat. Nihil habebat in reditibus, ſolo hortulo & fonticulo ditatus: tales quippè decebāt Eremitas ſanctos diuitiæ, in quibus pauperes Dei valdè delectati, ac recreati cenſentur. Nunc autem vallicula illa non parum dilatata, multiſque, ac pulcherrimis cellis, atque neceſſarijs officinis adiunctis, numeroſæ Eremitarum familiæ capax reddita eſt: necnon oratoriolum illum primum in maiorem formam redactum, & ab Eſinę vrbis ciuibus, mira loci, habitantiumq; deuotione incitatis, decentibus picturis illuſtratum: cōmunis Eccleſia habetur. Acceſſit & induſtria Patrū loci pulchritudini

tudini alterius copiosissimi fontis salu-
berrimæ aquæ vena, quæ latè patentes
hortos hodie irrigat, & domesticis re-
bus abundantes suppeditat aquas. Tor-
rens postremò, qui medius rapax,& infe
stissimus decurrebat, p̄parata priùs illi
noua fossa; ad aliud latus procul eiectus
inauditus pertransit. Tandem profunda,
arctaq; illa vallicula olim,in eam hodie
formam mutata se offert, vt pulchrior,
& ad Eremiticum propositũ aptior non
facilè reperiatur. Veruntamen hanc ip-
sius siti dilatationẽ, domuncularũ aug-
mentum, & aliorum ædificiorũ amplia-
tionem non pecuniarum vis effecit, sed
continuus Eremitarum labor, ac sudor
elaborauit,cum aliquo piorum fidelium
auxilio. Intereà (vt ad rem redeamus)
ibidem in tanta quiete cõmorantibus il
lis, sanctitatis odore cõmoti, certatim
hinc inde illuc confluebant homines,
quorum multi eorum consortium expe-
tentes difficilè inde recedere sunt visi.
Tunc etiam ex sacra, altissimaq; Eremo
ad humilissimam valliculam hanc non-
nullos descendisse compertum est, tantę

foeli-

fœlicitatis cupientes fieri participes. E quibus præcipui fuere venerabiles viri Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Triuisanus Venetus, ambo Eremitæ Sacerdotes,& magni sanctitatis amatores,qui tamen consensu,& benedictione maiorũ suorum obtentis, aduenerant. Eodem quoque tempore ad Criptas venit Hieronymus Suessanus, homo sanè omni scientia ornatus, sed medica arte excellẽs,sacri Palatij, viuẽte Leone Decimo, protophisicus: qui multò nobilior, atq; perfectior ex religione factus, mira sanctitatis opera,dum viueret, ostendit.

MONASTERIVM SANCTI Leonardi de Volubrio, & Eremus Sancti Benedicti vltrò, Patri offeruntur. Cap. III.

QVANTA fuerit recentis Christi familię in speluncis illis habitantis vitæ perfectio, sanctitatisq; apud omnes opinio, hinc intelligi facillimum est: quòd per vnius anni spacium eò vsque accreuerant

uerant diſcipuli Pauli, vt nec eos torren tis anguſtia capere, nec parum referta penùs ſuſtentare idonea eſſet. Extendebatur quippè ſuprà modum (vti res nouæ ſolent) inauditæ rigiditatis, inſuetæque auſteritatis vulgatum nomen: & ſpiritualem progreſſum mirabantur omnes: vnde factum eſt, vt nouus paterfamiliàs vbi nouiter aduentantium multitudinem locaret, aut vnde illis miniſtraret panes, non ſatis ſciret. Veruntamen non dormit pijſſimus homo, ſed ad ſolitum ſuum orationis refugium ſe totum conuertit, id ipſum ſuis omnibus facere longa exhortatione ſuadens. Quæ certè illorum oratio adeò grata Deo extitiſſe conſtat; vt ſine mora, quod iuſtè petebatur, obtentum ſit. Ecce enim eodem tẽpore Galeatius Gabrielius illuc diuinitùs inſpiratus aduenit, qui pauperũ indigentiam erogatis pecunijs ſuppleuit, & loci anguſtias dilatauit. Nam Monaſterium ſancti Leonardi de Volubrio, quod ipſe in cõmendam poſſidebat, Paulo, & ſocijs ad habitandum conceſſit: quod haud multò pòſt in fauorẽ ſocietatis li-

berè

berè reſignauit. Eſt autem Volubrium mons immēſę magnitudinis ſub diœceſi Firmana: in ea autem Piceni parte, qua ipſa prouincia à Nurſiæ montibus diuiditur, iuxtà oppidum Montis Fortini, Teneæ fluminis caput, & origo. Locus igitur iſte valdè excelſus eſt, atq; ab omni humana conuerſatione longè ſegregatus, eoque ſolitariæ vitæ apprimè idoneus: ad quem noſtri celeriter accedentes, magna cum ſpiritus hilaritate ibidē habitare ceperūt: ſed de his alibi latiùs. Hijſdem diebus Deſiderius quidam Monachus Caſſinenſis in Eremitorio ſancti Benedicti Montis Conari, ſeu Anconitani cum quibuſdam ſocijs ſolitarijs cōmorabatur; ſoluto tamen more, ac ſine aliqua obedientiæ obſeruatione. Vnde conſcientia reclamante, audito quid in Criptis Maſſacij ageretur, illuc ſe contulit: qui re ipſa viſa, & prudenter conſiderata, præſentia, & ſermonis ſuauitate ipſius Pauli permotus, & ſe, & ſocios vnà cum loco ipſo eidem tradidit. Hic autē locus ſitu mirabilis eſt, vtpotè in procliui montis ſuprà ripam maris Adriatici poſi-

positus; in superiori parte eiusdem promontorij arduam celsitudinem: in inferiori verò abscissæ rupis inaccessibilem anfractum ad mare vsque protensum habens: cuius radices perpetuò maris abluit vnda. Sed quanquàm situs angustissimus videatur, nihilominus solitudini aptissimus habetur: quem mirum in modum fultissima ilicum sylua perornat, aquarumque latissimus aspectus, cùm nauigiorum continuò transeuntiũ frequentia lætissimum reddit. Hoc item mirabile reputatur, quòd cùm reliquam montis partem hyemali tempore bruma dẽsissima quotidie infestare soleat, Benedicti tuguria ne appropinquat quidem. Denique Eremiticæ conuersationi alia aptior statio non facilè reperitur. Iste locus quondam spelunca ferarum, hodie ipsa spelunca oratorium facta, Diuo Benedicto sacrata est. In eadem specu olim muliercula quædam, Nicolosa nomine, per annos multos solitaria latitauit: quę quia ibi cum magna pœnitẽtia, animiq; constãtia vixit, inter beatas animas reputata comprobatur. Huic filia eiusdem nomi-

nominis erat, quæ poſt mortem matris maternam habitationẽ laudabiliter per annos aliquot ſola incoluit: quæ tamen decrepita facta in vrbem ſe recepit. Res vtiq; noſtris temporibus inaudita: nempè tantæ ſolitudinis mulieres eſſe capaces. Poſt mulieres prædictas eiuſdem receſſus habitator factus eſt beatus Hieronymus Anconitanus; qui ſacello, & cellula fabricatis, valdè locum decorauit: vbi annis quindecim adeò ſolitarius vixit, vt nunquàm vrbem ipſam viderit. Obijt cum magna ſanctitatis opinione, ideoq; vulgò Beatus appellatur, & habetur. Iam vt ad rem redeamus, locis, ac diſcipulis ditatus vltra opinionem ſuam Paulus, velut diligentiſſimus Archimandrita, cuncta componere, ac iuſto ordine diſponere non ceſſat. Cuius curas, & animi charitatem ex quadam eius Epiſtola liquidè intueri valemus: quæ ſic habet. Euenit, inquit, vt dum à facie Domini fugere tento, quò nullatenus ire volebam, me perueniſſe ſentiam. Nam alijs ad me accedentibus, alijs me ad ſe vocantibus, in hac Marchiæ Anconitanæ prouincia,

in quatuor ſolitarijs valde locis circa vigintiquinque fratres habeo Eremitas. A quibus diſcedere; etſi ſolitudinis, quã à iuuentute mea ſemper quæſiui, amor ſuadeat; fraternæ tamen charitatis neceſſitas non permittit. O beate Pater, legitimè dicere poteris, cũ venerit Dominus tuus: quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Non deerit tibi profectò iuſtum reſponſum: ſed audies; euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. En tu in tanta paupertate, in tanta locorum anguſtia, ac rerum neceſſitate conſtitutus, vno anno vigintiquinque filios acquiſiuiſti: & nos in ſufficientia victus, in omni habitationum commoditate, vix quinque ſingulis biennijs retinere valemus. Quod quidem nõ aliunde prouenire crediderim, quàm ex abundantia charitatis tuæ, & noſtrorum omnium tepiditate: ſperabas tu in Domino Deo tuo, & ipſe faciebat; iactaueras ſuper eum cogitatum tuum, & ipſe te, & tuos enutriebat. Nos verò in indu-

ſtria noſtra (niſi ſuperbia potiùs dicenda ſit) nimium confidimus, vnde nobis meritò contingit ſterilitas iſta. Poſtremò omnibus ſapienter collocatis, ac rebus ſtabilitis, ad Criptas reuertitur Iuſtinianus noſter, vbi aliquandiu quietus cum ſuis permanſit.

SPELVNCAE MASSACII Paulo, & ſocijs in perpetuum renunciantur. Cap. IIII.

VEnerabiles Patres Auguſtinus, & Nicolaus Sueſſanus, & alij, qui in Criptis morabãtur, quaſi paternæ mentis conſcij, optimum Patrem continua inſtantia ſtimulare non ceſſabant: quo nouo inſtitutò initium daret, atque ad hoc vltrà humiles preces, ſeipſos in ſocios ac ſubditos offerentes. Quam ob rem Pater, ne in ſolo alieno ædificaret, coactus per literas à Patribus ſuis Camaldulenſibus locum ipſum ſibi, & ſuis in perpetuum conferri, petere decreuit. Quod faciliùs dictu impetrare potuit: tum quia omnes

ei

ei propitij extiterant: tum quia inde sacra Eremus nullum prouentum recipere, sed potiùs aliquod damnum sentire solita est. Prima igitur Capituli celebratione (quæ fuit 26. Iunij, MDXXII.) liberè in fauorem nouæ congregationis locus ipse renunciatus fuit, cum expressa segregatione, ac separatione ab ipsa sacra Eremo: tantaque vsi sunt erga suum alumnum Patres illi benignitate, vt prȩter hæc, primum ipsius victus subsidiũ non solùm non reuocarent, sed etiam de nouo extiterit ab eisdem confirmatum. Quȩ omnia prȩter capitulare decretum (vt fieri solet) solenni contractu, manu Fratris Lazari Boemici Miniati, die & anno prædictis confecto, roborari iusserunt. Cuius instrumentum authenticum non solùm apud nos, verùm etiam in archiuo sacræ Eremi hodie conseruatur. Rursus & alia multa nostris concesserãt (de quibus in prima parte actorum constat) quæ hìc exprimere non est necessum. Postremò hæc, & plura fecissent Patres, vel vt suum Paulum iterum ad Eremũ traherent: vel certè ne prorsus amitterent.

terent. Nec mirum profectò, cùm esset vir ille religiosissimus, intus ac foris purus, ac mundus; inter subditos minimus, ac mitissimus; inter Prælatos peritia & auctoritate præcipuus. Vnde non immeritò aliquis eorum dicere consueuit: qua die Paulus Appenninum reliquit, Eremus nostra quasi vidua facta est, & filij eius orphani reputati. Siquidem gratissimi Patres, quanta bona ministerio, industriaque eius suæ Eremo obuenissent: quomodo ab angustijs eam liberatam, & in suam honoris dignitatem restitutam, non meminisse non poterãt. Demùm laude dignissima est eorum liberalitas, quæ tanti boni extitit causa, nunquàm satis commendata charitas, quæ futuræ Religioni fortissimum prębuit fundamentum.

NOVI INSTITVTI PRIMA exordia. Cap. V.

HAc itaq; Patrum suorum benignitate, largitateque deuictus nouus Religionis institutor, tunc primùm Dei voluntatem co-

gnoscere

gnoſcere cepit, tunc dubitandi conſequitur finis, atque omnis peregrè abeundi aufugit cupiditas: necnō in Italia manendi firmatur propoſitum, & agendorũ ratio ſtabilita quieuit. Eadem die illi in mentem venit obſcurum illud beati Michaelis recluſi reſponſum: neq; ampliùs eiuſdem vera eum interpretatio latuit. Sic enim habet: Præſtare quidem poteſt Deus, ſi pergas, vt aliquid proficias; deſiderium autem tuum omninò non perficies. Ecce iam aliquid, immò multùm proficit Pater, dum inſtituit ſocietatē: tranſmarinam autem peregrinationem, quæ illius animo ſemper adhæſit, non perfecit. Talibus ergo initijs in propoſito confirmatus, atque animo confortatus dux noſter, ſolitariæ militiæ inſignia tyronibus ſuis ſine mora tradere ſtatuit. Atqui neminem latere debet, à prima die, qua ſancti Hieronymi latibula ingreſſus eſt, ad ſe veniētibus habitum dediſſe Paulum, & eorum profeſsiones accepiſſe: ſed vtrumque imperfecto quodam modo, habitum in ſolo cucullo, & profeſsionem in perſeuerantia tantùm

ſtatuens. Etenim incertus prudentiſsimus homo, maneret in Italia necnè, non eſt auſus aliquid innouare, nec aliquem ſolenni voto aſtringere: vnde etiam nũc quorũdam eorum, qui primi ad eum acceſſerunt, profeſsiones in libellulis, quibus aſſeruantur, duplicatas ſeu iteratas legimus: quarum vltima ſolennis cum tribus votis more noſtri ordinis ſolito emittebatur. Nunc autem ſolidam, in perpetuumq́; permanſuram inſtitutionem ſtatuere intendens: certam, atque immutabilem iuxtà animum ſuum, habitus formam, ac tria ſubſtantialia vota profitendi ſolennem, perfectumq́; modum ſecundùm Camaldulenſis ordinis ſtatuta tradere ſtuduit. In primis itaq; ſciendum eſt, habitum Camaldulenſem in hoc vno conſiſtere: vt album, ſtrictũq́; cucullum, quo caput tegitur, ſcapulario conſutum deferamus: & ipſum ſcapularium (quod vulgò Patientia dicitur) ab ſcapulis, ſiue ab humeris, antè & retrò ſuper candidam tunicam, ad talos vſque pendentem, laneo cingulo aſtringamus. Hæc eſt vera forma, eſſentiaque habitus ordi-

ordinis noſtri: extrà quam quicquid induimur ſiue pallium, ſiue latum Monachalem cucullum (candido nitore ſeruato) nihil penitus refert: nec habitus qualitatem in aliquo mutat, alterat, aut lædit. Noua igitur nouæ ſocietatis fundamenta iacturus Pater, nouamq́; viuēdi recenti familiæ normam traditurus, quid aut quomodo fieri debeat, diù priùs voluit penſitare. Manebat alta mēte repoſtum paupertatis, nuditatisq́; deſiderium illud, quod in ſacello beati Franciſci Aluerniæ animo conceperat: nec ille feruor imminutus aliquatenus fuerat, ſed potiùs ſenſim magnum ſumpſerat augmentum. Ideoque attenta facultate ſibi in reſcripto Apoſtolico circa victum, & veſtitum conceſſa, ab ipſa nuditate incipere decreuit. Demum die ſecunda Iulij, & ipſa Dominica, in qua etiam ſolennitas Viſitationis ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ad Eliſabeth, celebrabatur; exiſtentibus in præfato oratorio Criptarum nō paucis ſecularibus, qui vel deuotionis cauſa, aut certè rem ſacram audituri venerant: coram omni-

bus, modo quo ſequitur ornatus hora Tertiæ comparuit Paulus. Reiectis nempè quæ antè deferebat indumẽtis, proq; eis birrea (vulgò Griſea) rudi, videlicet, hirſutaq; tunica ad carnes ſine tunicello indutus, habitum ſuperiùs additum ex leuidenſa dalmatina (quam raſciam Sclauonicam appellant) confectum: nudis pedibus, ſolo calopodio, ſeu ligneo ſocculo ſubtus munitis, in publicũ prodijt ſtatim celebraturus. Mirantur omnes monſtruoſam, nouam, & inſolitam veſtem: irrumpunt in cachinnos quidam ipſorum, alij prudentiores lachrymis perfunduntur, in aſperitate illa ſignum rigidiſſimæ pœnitentiæ perpendentes. Cùm verò ad Offertorium Miſſæ vẽtum eſt, ecce quatuor nouitij (quorũ primus Hieronymus Sueſſanus) ante altare genibus flexis aſſiſtunt: ad quos conuerſus Pater, & debitis, ſolitiſque ceremonijs vſus, eoſdem blandè interrogat: an idem quo ipſe indutus eſt, tegumentum ſuſcipere, perpetuoque deferre velint? Quibus ſpontè velle reſpondẽtibus, ſubinde eos ad carnes denudari iuſſit: & manibus

quæ

quæ iuxtà præparata erant indumenta ſuſcipiens, illos etſi animo feruentes, tamen proſpecta rigiditate in ſe horrētes, ſumma cum aſpectantium admiratione, ſanctiſſimæ paupertatis ornamentis decorauit. Poſtremò his, quas deſcripſimus, veſtibus palliolum ex eodem griſo ad genua vſque protractum, ligneoque globo ad pectus coniunctum, pro Monachali amplo cucullo addidit. His deniq; poſitis fundamentis, ad habitationes ſimili paupertate componendis ſe vertit: in quibus ſolis tabulis ſuper humo locatis, iunco, ſeu paleis ſuperius ſtratis, pro lecto noui milites vtebantur: quibus ſingulis ſingula ſclauonica villoſa adaptauit opertoria. Cibus inſuper illis ſiccus panis, & ſæpe mucidus: braſſica, & olus, quandoque tenue legumen pulmentum erat: vinum autem raro bibere vſi ſunt, quod ne illis quidem tertio quoque die miniſtrabatur. Tempus præterea ſic diſtribuerat diligens Pater, vt præter moderatum ſomnum, diuinum officium aut manuale opus totum penitus conſumeret. Diuiſis interim iuxtà conſuetum ordinem

dinem diei, noctisque horis: tùm ad horarias preces persoluendas, tùm ad orationem, lectionemque peragendam, tùm etiam ad seruitutis, domusve munera necessaria adimplenda. Sed hæc per trãsennam hìc adnotasse sufficiant: quia vltimo libro (qui de ritu, & institutione agit) eadem adamussim examinantur. Prætereà opere pretium est intelligere, quanta hìc in angustia degebãt Dei pauperes: de qua in hæc verba ad quendam scribit Pater. Vbi nunc sum, nihil habeo, & vtinam vna mihi saltem cella esset: vtinam, vt melius dicam, spelunca vna mihi vni: fuissem sanè Crasso, & Mida ditior. Sumus autem in duabus criptis quatuor, &c. In summa dum in hac stricta valle, inque magna rerũ penuria morarentur nostri progenitores, venerabiles Patres Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Triuisanus, qui licèt animo semper in societate manere decreuerant: nihilominus adhuc solitũ amictum deponere, & nouũ assumere propter eiusdem asperitatem formidabant: quos tamen Paulus ob eorum auctoritatem ad

hoc

hoc cogere, vel persuadere minimè ausus fuerat. Atqui paulatim tanto aliorũ sanctitatis exemplo compuncti, & inter pauperes, ac nudos cum diuersitate vestium, decenter ornati cõuersari erubescentes: assuetis tãdem vestibus reiectis, rude illud indumentum sponte sua sumpserunt. Et ita vniuersa Dei familia vnius habitus, vnius moris, atque vnius spiritus facta; vnanimiter de cętero in Dei honore mirificè cum omni perseuerantia ambulauit.

DE ELIA, ET ANTONIO primis huius loci habitatoribus. Cap. VI.

SENEX venerabilis Elias, quem cum Antonio conuerso in Criptis à Paulo repertum fuisse diximus: circa victum, ac vestitum, eiusdem voti cum reliquis nõ ęrat: nam perpetuæ abstinentiæ rationem admittere, & birreũ opertorium humeris suis recusabat imponere. Nec mirum profectò, senuerat enim valdè; quam ob rem tantæ rigiditatis

tatis onus debile corpusculum minus poterat sustinere: & sancta illa, qua diù vsus fuerat libertas, iterum graui strictę obedientiæ iugo collum submittere non sinebat. Quare ne socijs tædiosus fieret, aut inter obseruantissimos viros singulariter viuens, illis aliquod ministraret offendiculum; inde recedens Camaldulum, vnde exierat, reuerti satiùs duxit. Antonius verò, qui his, & durioribus pugnis resistere assueuerat, nouæ militiæ ascribi, griseoq; sago indui summoperè anhelabat. Veruntamen Eliam, cui tam diù obediens fuit, quasique officiosus filius tot charitatis impenderat opera, contristare non audens, solum inde abire non permisit. Sed euntem illum, vti fidelissimus comes secutus ad sacrã vsq; Eremum fideliter comitatus est: qui tamen discedens Paulo bona fide recepit: se, relicto prius Elia in domo sua, statim ad Criptas reuersurum. Atqui itineris labore confractus, vel aliquo corporis accidente nouiter exorto, adhuc in via malè habere cepisse, fertur. Denique Camalduli constitutus, febricula quadam

affectus, per menses aliquot infirmus iacuit: & tandem quadam die Dominica, vt accepi, obdormiuit in Domino. Libet ergo corpore demortuum, spiritu autē æternaliter viuentem, paucis laudare; ne tàm salutari huius sancti viri exēplo lector noster defraudetur. Antonius igitur iste Rechenati ortus in ipso iuuentutis flore vxorem duxit; quam posteà in adulterio deprehensam ab eodem occisam, fama vulgauit. Sed cùm esset Antonius natura mitis, & animo pius, licèt terrenum iudicem ei formidandus nequaquàm veniret: nihilosecius tremendum Dei iudicium non poterat non timere. Quam ob causam diræ faciendæ pœnitentiæ se subinde tradere statuit: ac primùm tertij ordinis sancti Francisci factus professor, in sanctis suæ professionis exercitijs piè detinebatur. Postmodum verò hoc ipsum, feruore crescente, parū aut nihil reputans, solitudinis auidus ad Criptas Massacij, cuius loci modò abūdè locuti sumus, se congessit. Vbi deinde solitariam vitam summa cū austeritate agens, proprijs laboribus, ac sumptibus, incul-

incultam vallem non mediocriter reddidit ornatam. Nam iuxtà suam cauernam, aliam non sine multo sudore effodit: necnon ad ipsius rupis radices graciles sibi parauerat hortulos, vnde posteà olera, dulcesque herbulas legebat. Victitãdi modus talis fuisse fertur: quotidianus panis, quo vescebatur, decem vnciarũ pondus, eo tamen vel sicco, vel biscocto vtens: cui pauca brassicæ folia, alteriusve oleris pulmentum adiungere; aut certè leguminis pugillum, idq; multoties solo sale, sine oleo conditum in cibum sumere solitus est. Carnes, seu oua, neq; lactaria, ex quo speluncam ingressus est, gustauit vnquàm: à vino similiter quasi abstemius ferè semper abstinuit. Oderat supra modum ociositatem, nutricem peccati eam appellans: erat in oratione continuus, & in lectionibus frequens, ita vt ne punctum quidem temporis sine fructu transire permitteret. O fęlix homo, qui sine regulari disciplina tã prudenter vitam nouerit regulare. Prætereà, licèt quidã quod sequitur eius mitissimæ naturæ ascribant, ego acquisitæ

virtuti attribuere non dubitem: hoc eſt, quod nunquàm etiam in multa occaſione, vel minimum iraſci viſus ſit: mirum in modum certè humilis, ac patiẽs, pius, deuotusque eius animus extiterat: ſed hæc omnia ſuperabat caſtiſſimus Dei timor, quo vniuerſa vincere ei difficile nõ fuit. Poſtremò, cũ ibidem prædicto modo eſſet commoratus per ſexennium & vltrà, audiens aliquos referentes ſpeluncas illas ad Patres Camaldulenſes ſpectare; delicatæ cõſcientiæ ſtimulo actus, ſine alia veriori facti informatione, Camaldulum ſe contulit; illicq; ſtatim Patribus illis, & locum, & quicquid in eo factum fuerat, ſpontè renunciauit; tantũmodò ſupplex nouam eiuſdem loci habitandi conceſſionem petendo. At Patres, qui & locum, & ius (ſi quod erat) in eo habentes prorſus ignorabant; immò ſecũdùm quoſdam, quibus & Delphinus aſtipulatur, hæc prima loci huius acquiſitio fuit: ideoq; facilè petitis annuerũt. Dum hæc Camalduli agerentur, Antonius (Deo ſic diſponente) in manus Pauli incidit, qui eundem perbellè cõduxit,

vt Eremiticum habitum indueret, ſub obedientię iugo viuere vtilius ei futurũ, benignè ſuadens. Cùm itaq; ei ſalubre conſilium placuiſſet, ſuſcepto conuerſorum habitu, poſt annũ profeſſionẽ emiſit: & paulò pòſt adepta Criptas iterũ habitãdi noua licentia, cũ præfato Elia Sacerdote ſibi ſocio à ſuperioribus dato, illuc reuerſus eſt. Vbi ſanè ambo ſimul per annos ferè ſeptem ſumma cum charitate, ac mutua dilectione, fideliter Deo ſeruientes perſeuerauerunt. Iam non eſt hìc ſilentij occultanda Antonij non vulgaris ſanctitas, quæ ex duobus præcipuis exemplis ſatis apertè intueri volentibus clareſcere poterit. Non erat ibi oratorium aliquod ab initio, quæ res illi propter neceſſitatẽ ſatis moleſta efficiebatur: neq; ipſe illud facere tentabat, eo quòd eſſet in ſolida petra duro ferro concauandũ, nec erat pauperi vnde expenſas perſolueret. Et ecce nobilis quidam Eſinus illuc veniens, re audita, eum vt opus incipiat, vehementer hortatur, ſe omnes fabricæ ſumptus facturũ promittens. Nec mora, vocãtur lapidicidæ,

& cepto opere ad finem vsq; operarij nõ cessant. Requisitus autem nobilis sponsor vti operarijs mercedem solueret, noluit ille stare promissis. Tunc Antonius illusum se videns, lectuli opertorium, & paucos libellos, quos habebat, vendidit; seu veriùs pignori dedit: cùmque id dimidium pretij non adæquaret, ad orationem solitum sibi remedium confugit. Dum ipse seorsum secretò oraret, vltima operi manus imponebatur: & factũ est, cùm vltimus angulus cauernæ poliretur, aperta est rimula quędam pecunijs repleta. Moneta verò Anconitana antiquissimæ signaturæ: quæ tantula fuit, vt solutis operarijs, ad pignora redimenda & ad ea paranda, quæ ad oratoriũ exornandum necessaria esse solent, abundanter sufficeret. O quàm benè exclamat ille: Omnipotens oratio, cuncta per te fiunt; tibi nihil impossibile datur: quia, teste Iacobo, multùm valet oratio iusti assidua. Rursus cũ aliquando ita ægrotaret Elias, vt ĩ agonia mortis versaretur, & Antonio eidem ministranti deesset panis, neq; infirmus in tali statu solus relinquendus

quendus ei videretur; ad Deum ſuũ conuerſus, more ſuo ex alto auxiliũ quærit. Et ecce adhuc eo orante, à coruo ibi in ripa nidum habente (& ipſis pijs hominibus diuturnitate temporis familiari facto) panis recens ponderis duarum librarum allatus eſt. Res quidem mira, & noſtris temporibus inuſitata, credituq; difficilis: de qua tamen ego nihil dubito, qui hæc omnia propria Pauli manu, lingua licèt vulgari, obiter annotata inter eius ſcripta reperi. His ergo præclariſſimis gemmis illuc accedentes noſtri, incultum natura locum, ornatum, atque nitentem inuenerunt.

QVAEDAM IN PAVLVM, ET ſocios obiecta diluuntur. Cap. VII.

ETSI ex præcedentibus ſatis manifeſtum omnibus eſſe putamus, noſtræ congregationis fundatorem in cunctis actionibus ſuis legitimè, ac laudabiliter proceſſiſſe: attamen ne candida eius ſocietas alicunde maculã contra-

contraxisse videatur, opere pretium duximus quibusdam ex aduerso obiectis breuiùs respondere. Modernus igitur quidam, alioquin grauis, ac disertissimus auctor, in suis monumentis nuper in lucē æditis post pauca (licèt eleganter) in laudem nostri optimi parentis prolata, hæc nescio quo spiritu adiecit. Nempè occasione conuersionis Petri Fanensis (olim Galeatius Gabrielius) quæ fuit anno MDXXIIII. Patres Camaldulēses tūc primùm exploratum habuisse Grotarū (sic ipse loquitur) abdicationem: & Paulum suam peregrinationem in erectione nouæ congregationis terminasse. Quod grauiter accipientes, quasi à sacra Eremo rebellasset, lite mota habitu Camaldulensi, vel omni eius congregationi interdixisse. Et alia quædam his similia, quæ tanquàm superflua omittimus. Ista sanè omnia ex his, quæ suprà cap. 3. diximus, stare non posse, satis elucidatum manet. Quì enim fieri potest, post quadriennium exploratum habuisse, quod ne vna quidem die ignorauerūt? Siquidem in sacra Eremo libellus quidam cu-

ſtoditur, cui titulus eſt, Prima pars actorum, ex quo obiecti criminis pleniſſima defenſio aſſumi poteſt; in eo, ſcilicet, omnia Patrum Eremitarũ decreta annorum vigeſimi primi & ſecundi exactè notata etiam hodie leguntur, quibus ſole clariùs apparet veritas ipſa. Hoc eſt, eodem tempore, ijſdemq; annis ſemper venerandos illos Patres ſola charitate motos prȩfatas Criptas primò ad habitandum Paulo, & ſuis conceſſiſſe: deinde prius in ſua familia eis computatis, annuam quandam penſiunculam pro victu eſſe elargitos: ac tandem anno XXII. vigeſimaſexta Iunij, renunciatione, ſeparationeq; præmiſſis, locum ipſum eiſdem benignè mediante contractu dediſſe. Adde quòd Elias, & Antonius primi loci habitatores ſine Prælatorum ſuorũ mandato noſtros venientes admittere: aut certè maioribus rem celare non potuiſſent. Prætereà Delphinus totius ordinis generalis lib. 12. Epiſt. 77. ſcripta 15. Iulij, eiuſdem anni, de prædicta ſegregatione grotarum certior factus, ſic Camaldulenſibus loquitur. Congratulor pluri-

plurimum vobis, quòd malè copulata, & coniuncta haud multò antè sacræ nostrę Eremo antra deserti Piceni penitus repudiaueritis. Conferet vobis separatio ista ad quietem vtriusq; hominis, &cęt. Et in Epistola 86. eod.lib. ad Iustinianũ Bergomensem scribens. Putaui ego, inquit, abijsse te in Picenum à Iustiniano altero accersitum; sicut mihi retulerat Vicarius vester. Quid? non ne venerabiles viri Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Triuisanus iam à principio (quod & ipse auctor fatetur) ad nostros in speluncis Massacij habitantes venerunt? Accedit ad hæc vnio quædã inter nostros, & Camaldulenses inita anno vigesimo tertio, quæ per annos duos sequentes vtrinque obseruata, authentico contractu probatur: de qua paulò inferius plenum tractatũ dabimus. Ex his ergo manifestum restat ab initio ad vltimũ vsq; diem nouam congregationem Camaldulensibus fuisse notissimam: quin & eidem semper fuisse propitios, & fautores: tantũ abest dicere, contra filios suos lite mota contendisse. Vtiq; Patres Camal-

dulenſes charitate feruētes nil grauiter ferre poſſunt, patiētes enim ſunt, & ęquo animo ferunt omnia : non æmulantur, neque inuident alterius bono; non ſunt ambitioſi, neque litigioſi : non quærunt quæ ſua ſunt, multò minus repetunt quæ ſemel dederunt. Ad habitus prætereà interdictionem ex dictis ſuprà cap. 2. ſatis reſponſum puto. Nam ſi anno XXII. cùm Sueſſanum, & alios noua veſte indueret, & ipſe Pater prius ſibi eādē aſsūpſit : qui nudus, & excalciatus, rudiſſima tunica, immò aſperrimo pœnitentiæ ſago indutus apparuit; necnon ſponte ſua honorabilem, ac delicatam Monachalē ſuperiorem veſtem, quæ de ſubſtātia habitus minimè eſt, in viliſſimum paupertatis palliolū mutauit : certè non video, quomodo trāſacto poſt hęc biennio, habitu Camaldulenſi priuari queat. Sed quid ego in hac defenſione oleum (vt dici ſolet) & operam perdo? Nonne ſemper Paulus, & ſocij eius habitum Camaldulenſem detulerūt? nonne nos indigni filij eius hodie eundem geſtamus? nōne & qui futuri ſunt noſtræ congregationis

filij,

filij, Deo annuente, ipſum in æternum portabunt? Iam ad eos ſtylũ vertamus oportet, qui contra præfatum auctorem ſentientes Paulum malè egiſſe etiam hodie clamitant, & ſui ordinis corruptorẽ non ceſſant appellare: eò quòd Monachali amictu relicto, pallium aſſumpſit; comminantes inſuper nos ad eum reſumendum eſſe cogendos. Quos ego certè parũ in hiſtoria ſanctiſſimi Patris noſtri Romualdi verſatos crediderim: velléq; eos antiquorum eiuſdem ſancti diſcipulorũ paupertatẽ, ritus, ac mores didiciſſe, prima Daguini, & ſociorũ eius meminiſſe ĩdumẽta: atq; adeò diligẽter legiſſe beati Rodulphi (quas vocant) compilationes. Quibus benè conſideratis, forſitan palinodiam recantantes Paulũ Iuſtinianum verum ſancti Romualdi, & diſcipulorum eius imitatorem, & antiqui eremitici rigoris reſtauratorem extitiſſe, fatebuntur. Profectò apud præfatos ſcriptores pelliculas, birrum, cilicium, viliſſimas pariter, atque aſperrimas veſtes, nuditatem, & ſqualorem lego: nullũ autem illorum Sanctorum mollibus in-

dutum reperio. Cur ergo, quęso, eorum æmulatorem Paulum reprehendemus? cur illi, & socijs eius, quod virtutis est, vitio vertimus? Nunquid perperam egerunt gloriosæ Capucinorũ familię principes, qui nuditatem, ac sanctissimã paupertatem; & tandem vilissimam, rudissimamque beatissimi Patris sui Francisci vestem, iam olim sepultam suscitauerunt, & suscitatam induerunt? Sed væ illis, qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Nunc denique me necessitas cogit ad te optime Delphine mea dirigere verba, qui dilectum alioquin filium tuũ leuitatis quodammodo notare non desijsti. Ais siquidem non alibi eum suauiorem panem reperturũ, quàm in Eremo Camaldulẽsi: an nescis illas esse suauiores escas, quæ magis palato placent? Non triticeos quærit iam panes (vt tuis vtar verbis) sed ordeaceos inquirit; sciens vtique talibus olim Dominum satiasse turbas in deserto: non esurit amplius terrenas epulas, sed spirituale nectar sitit. Ecce descendit ex Alpium (vt ais) altitudine; verum sanè, atque abijt

in

in locum, quem monſtrauit ei Dominus: deſcendit in vallis ima non ignorãs ſcriptũ eſſe, Omnis vallis implebitur: & valles abundabunt frumento. Item, Qui ſe humiliat, exaltabitur. Iuit tandem in vineam patrisfamiliàs, ne ſtaret tota die ocioſus, ſed operaretur vſq; ad veſperã, tunc denarium diurnum accepturus. Cupis præterea fieri illi aſpera in vias planas. Quid, quæſo, planius illi contingere potuit, quã in ſuauiſsima lege Dei ſui, inq; via mandatorũ, atq; perfectionis ſemitis ipsũ ſuauiter ambulare, multosq; inſtruere, & deducere? Crede iam Delphine venerande, prout te crediturũ promittis, hanc fuiſſe mutationem dexteræ excelſi: quia ita probauit à te expectatus euentus. En vidiſti euentum (non enim diem obieras) euentũ, inquam, quẽ optabas: vidiſti ſterilem peperiſſe plurimos, multosq; eſſe filios deſertæ, magis quàm eius, quæ habebat virum. Lætare igitur vir pijſſime, & in perpetua pace quieſce: quia ante obitum tuum, quæ de filio tuo dilectiſſimo deſiderabas, cum magna iucunditate vidiſti.

DE

DE PRIMA CAPITVLI celebratione. Cap. VIII.

IAM igitur in quatuor Eremos dilatata noua ſocietas, & ĩ quatuor partes diuiſus grex, nõ ita facilè ab vno paſtore, licèt vigilãtiſsimo, potuerat cuſtodiri; aut iuſto moderamine quadripartita familia regi: vtique vnamquãq; domũ ſuum rectorem deſiderare in confeſſo eſt. Quòd ſi in priuatis ſecularium ædibus ita ſe rem habere videmus, quãtò magis in religioſis cœnobijs eadẽ ratio militare debet? quandoquidem aduerſarius noſter ſerpẽs antiquus religioſis viris ſemper inſidiatur, cui iugiter magna cura, ac vigilantia reſiſtere eſt neceſſum? Verùm iſtud fieri nequit, niſi idoneus, peritusq; cuſtos vnicuique gregi pręponatur: qui eum in temporalibus regat, in corporalibus naturali alimẽto paſcat, & in ſpiritualibus inceſſanter doceat; & tandẽ in omnibus fideliter, cauteq; ducat. Præterea quemadmodũ vnaquæque Reſpublica ſuis legibus, & ſtatutis regi ſolet: vt qui præſunt ciues in iu-

ſtitia,& rectitudine morum contineant, & illi faciliùs ſuum penſum adimpleant: ita quamcumque religioſorum congregationem, ſuam certam regulam, ſuasq; conſtitutiones habere oportet; quibus & ſubditi quæ acturi ſint, addiſcant; & prælati quæ illis imponenda veniunt, quæve præſtanda non ignorent. Quæ ſanè omnia prudenter animaduertẽs Paulus noſter, tanquàm huius militię expertiſsimus miles, immò peritiſsimus dux, vtrumque præſtare, ſuamq; ſocietatem & iuſto regimine, & ſcripta lege munire diutiùs non protraxit: ſed continuò omnes, quos ętate prouectos, ſcientia ornatos, aut experientia edoctos nouerat, vocari iuſsit. Quibus in vnum congregatis, iuxtà facultatem Apoſtolicam, capitulũ conſueto religionum more, debitis modis ac forma ſeruatis, celebrare ceperũt. Ac licèt congregatio ipſa tunc paucorum, tenuisq; fuiſſe noſcatur: nihilominus tamen conuentus iſte nec ſine debito decore, nec ſine multa prudentia habitus eſt: ideoq; meritò primũ generale ſocietatis capitulũ meruit nuncupari.

Quam

Quam ob rem quæcunque in eo ſtatuta, ſancita ve fuere, in perpetuum obſeruata manent: necnon ordinationes, & conſtitutiones tunc æditæ, ſeu approbatæ, vniuerſalis legis vigorem obtinuerunt. Quales fuerunt conſtitutiones viginti ſex, quas Paulus iam antè cõfecerat, ſed eis vti noluit, donec iuſtis ſolẽnitatibus, ac ritè cõfirmarentur; quas nos propria eius manu vidimus ſcriptas. Multa etiã ibi ad regularem, Eremiticamq; vitam inſtituendam; multa de regimine, & familijs componendis; atque adeò ad neceſſaria negotia peragẽda ſapienter, prudenterq; ſcita fuerunt. Et, vt ſemel dicã, hinc primam, certam, regulatamq; viuendi formam cepit habere religio noſtra. Huic memorandæ primi capituli celebrationi locus Criptarum, tanquàm eo tempore primus, & aptior reliquis, deputatus eſt: definitores verò comitiorũ extitere peritiſsimi Auguſtinus Baſſanenſis, & Nicolaus Triuiſanus, ambo veterani, atq; ſimilibus aſſueti. Hieronymus item Sueſſanus, qui licèt in religione nouus, longa tamen experientia ac do

ctrina grauis,& cordatus ſemper eſt habitus. Aderat & venerabilis Deſiderius qui in his ſumma peritia callebat, vtpotè qui Caſsinenſium negotijs diù interuenerat: & ſæpenumero Decani officio, & alijs muneribus fuerat functus. Eorũ tandem præſidẽs Paulus, qui & totius ſocietatis Maior(hoc eſt)Generalis factus eſt: & licèt quaſi naturali iure, ac ſumma ratione electus videretur, nihiloſeciùs libenter ab ea dignitate abſtinuiſſet. In ſumma ex prędictis diffinitoribus ſingulis locis, ſeu Eremis Priores deſignati ſunt, ac dedicati. Vnde ſuis pedibus ab illa die incedere, & iuſto ordine ambulare cepit nouella cõgregatio; ac deinde ſemper in melius cùm obſeruãtiæ ratione, tùm locorum, perſonarumq́ue augmento, Dei Optimi Maximi beneficio, mirabili modo accreuit.

PATIENTIA PAVLI IN aduerſis. Cap. IX.

INTER ea, quæ ſuprà tàm proſperè geſta retulimus, non defuerunt pijſſimo Patri & multa aduerſa; eò quòd (diuina

(diuina bonitate annuente) eum tanquã verum Christi discipulum Satanas cribrare non cessauit: quæ omnia ea patiẽtia tollerare consueuerat, vt lætior multò in tribulationibus, quàm in prosperitatibus sit semper agnitus. Solitus equidẽ dicere, Sine cruce non verè sequimur Christum. Post Leonis Decimi obitum diù Romanam curiam vacasse, eò quòd Adrianus Sextus eius successor tunc in Hispania ageret, non est qui ambigat. Hinc multis, maximè discolis, quidlibet audendi data est occasio: quod non parum nostris, & omnibus bonis nocuisse, compertum est. Morabantur itaque in superiori parte Montis Anconitani Eremitæ quidam, soluto more, sineq; certa, vel approbata regula degentes: qui nostrorum vicinum consortium æquo animo ferre non poterant; timentes vtique ne istorum laudabilis conuersatio, eorũ dissolutæ cupiditati aliquod afferret nocumentum. Quæ abominãda æmulatio, seu radix omnium malorum auaritia, perinde animos eorum agitauerat, vt veluti furentes, in pauperes Christi irruere

ruere

ruere non dubitarent. Ac primùm minis eos irritare tentantes, & nihil proficientes, cogitauerunt miseri illi, si aliud non valerent, saltem eos terrere, quò formidine ipsa pellerentur: atq; ad id hac arte vtebantur. Mittebant nimirum ex eminentiori loco in inferiora nostrorũ latibula immania saxa, lignorumq; ponderosos truncos magnum stridorem mouentia, quo latitantium animos ingenti terrore concuti credentes, totas ferè in hoc diabolico exercitio consummabãt noctes. Quam ob rem cum lamentatione, venienti quandoque ad se visendos Paulo trepidantes pauperes, suas non proponere querelas non poterant. Quibus ipse sua solita alacritate: an ignoratis filioli, naturale esse post tonitrua ex alto decidere grandinem? necesse est prçcedentes cõminationes quodammodo subsequi facta. Sed vos nolite expauescere, territamenta sunt hæc, quæ vobis nocere non possunt, qui Deum in defensorem habetis: sustinete modicum, & orate pro persequentibus vos, & statim tonitrua cessabunt, & grando rigida

in mollem pluuiam conuertetur. At obcęcati illi quandoquidē hac via nil proficiebant, aliam aggrediuntur: Cardinalem, videlicet, Anconitanum adeuntes, tot calumnijs, falsisque suggestionibus apud eum contra Dei seruos egerunt, vt magno impetu vicario suo demandaret; quatenus & Paulum, & vniuersam eius familiam extra fines Anconitanæ diœcesis sine mora expelleret. Veruntamen vicarius sapientiùs omnia considerans, & iusta inquisitione persequentium malitiam, & eorum innocentiam sagaciter rimatus, noluit tantæ iniquitatis fieri auctor. Vnde maiori furore accensi diaboli ministri, ad Marchię Legatum tendūt: quid illi dixerint nescio; hoc autem vnū scio: de mandato Vicelegati pauperes nostros ex omni territorio iurisdictionis eius crudeliter fuisse eiectos: capitur Paulus quasi malefactor, & Maceratæ in carcerem conijcitur: ita denique percussus est pastor, & dispersæ sunt oues, exulant sine causa dilecti filij, & amātissimus Pater clausus custoditur. O quantū potest iniquorum hominum nequitia: ò quan-

ò quantum nocet inconſiderati iudicis temeritas. Infamatur ſine crimine vir purus infamia facti: expoliantur cauſa incognita pauperes poſſeſſione ſua; expelluntur, inquam, de nidulis ſuis, & eijciuntur ad exteras caulas. Atqui beniginiſſimus Pater tanquàm ſurdus non audiens, & tanquàm mutus non aperiens os ſuum in ergaſtulo iacet: ſed nō ideò ceſſat omni ſolicitudine diſcipulos ſuos crebris literis confortare, & ad animi conſtantiam exhortari. Etenim extat adhuc quædam eius epiſtola ex carcere ad ſuos miſſa, vnde hæc verba deſumpta ſunt. Paulus vinctus Ieſu Chriſti chariſſimis Hieronymo, & Deſiderio, vniuerſiſque ſocijs eorum, Salutem in Domino, & pax in Spiritu ſancto. Et poſt pauca. Non equidem mihi carcer moleſtus eſt, ſicut vos exiſtimatis: quos nec contriſtari ob hanc cauſam velim, ſed potiùs congaudere mecum: quia dignatus eſt Dominus omnipotens me indignum ſeruum ſuum alicuius portiunculæ paſſionum dilectiſſimi filij ſui facere participem. Vnum tantùm mihi & vobis cō-

dolendũ censeo: quòd ego reus, & peccator meritò hæc, & si grauiora fuissent, sustineam: ille autem innocens, & immaculatus iniustè pro me passus sit. Et infrà. Mementote, quæso, scriptum esse: Si cõpatimur, & congaudebimus. Quid? nonne ipsa Veritas ait: Beati eritis, cùm persecuti vos fuerint homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquàm malum mentientes propter filium hominis. Et quid addit Euangelista? Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlis. Et ego cum Apostolo dico vobis fratres mei dilectissimi, constantes estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper: scientes quòd labor vester non est inanis. Iam ergo cum eodem Apostolo dicamus omnes simul: Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an gladius, an vincula? Sanè hæc omnia delitiæ sunt, solis charissimis Dei amicis reseruatæ. Et in fine. Oratio, inquit, fiat ab omnibus vobis pro me ad Dominum, vt ex hac me carceris

ceris custodia liberare dignetur. Tandē post dies sexdecim certior factus, & in se reuersus furibundus iudex, eum extrahi, & ad se adduci iubet: cui iam appropinquanti, Parce mihi, ait, ò Pater: nō enim noueram te, nec tuos audieram. Et Pater ad eum, Parcat tibi Dominus: nam ego quid tibi remittam non habeo, conscius te nil in me facere potuisse, nisi quatenus fuerit à Deo præordinatum. Tales vtique, ac multi extitere eodem tempore optimi Patris labores: tantæ siquidē molis erat Eremiticam condere gentē. In optimum denique finem desijt turbulentissima tempestas: ita vt verissimū sit, quod Propheta canit: Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Sed è conuerso fucati illi Eremitæ, qui iustum persequebantur, citò præcedentem versiculum eiusdem Psalmi lugentes, atque gementes decantauerunt: Vultus, scilicet, Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Nam post menses paucos primus eorum, & qui magis in sua malitia exar-

ſerat, dira febri correptus, in frenesim lapſus, ſeſe de feneſtra quadam præcipitem dedit: & ſic iuxtà peractam vitam exitus eius. Alter verò perſecutor, dum ſcalas quaſdā aſcenderet ligneas, offendens pede, è ſublimi ad imum deturbatus, crure per medium fracto, vix ſemiuiuus à concurrentibus leuatus eſt. Iacuit diù proſternatus in lecto, ita vt de eius vita prorſus deſperaretur. Verùm cùm hæc audiſset Paulus, valdè contriſtatus eſt, & pro eo ſine intermiſſione orans, per dies quindecim in pane, & aqua ieiunauit: vnde non immeritò eius precibus infirmus curatus creditur. Non aliter certè vindicauit olim Dominus Beati Benedicti iniuriam, atque hodie Pauli calumnias: morte punitus fuit mirabiliter malus presbyter Florentius; morte quoque pœnas luit Patris noſtri perſecutor; cuius nomen ex induſtria occultamus, nolentes notiſſimam, ac claram familiam, vnde ortus erat, lædere.

DE

DE MORVM RIGIDITATE, atque celeri augmento congregationis nouæ. Cap. X.

EXTINCTIS itaque Dei beneficio malitijs omnibus, plenaq; pace fruentes Eremitæ nostri, atque à tumultu perturbationum vacãs noua congregatio, tota ad obseruantiã regularem Eremiticam stabiliendã conuersa est. O, si ea esset nobis describendi facultas, si tanta facundia, aut eloquẽtia; vt ad plenum eorum virtutes exprimere possemus. Sed præstat æquidem tacere potiùs, quàm imperfectè de tantis viris, deq; illorum eximijs animi virtutibus perperam tractare. Ibi namque inter eos pax summa, animorum vnitas, & charitas perfecta: ibi simplex humilitas, cordis puritas, & promptissima obedientia: ibi ieiunij continuatio, ciborum parcimonia, & strictissima abstinentia: ibi ardentissima deuotio, spiritualis feruor, & iugis oratio: ibi discreta taciturnitas, nulla verborum superfluitas, sed perpetuum silentium. Ibi de-

mũm nuditas, rerum omniũ neceſſitas; vera, ac ſacroſancta paupertas, certantes inuicem quis ſtudioſior foret: reuerentia, & honore ſe inuicem præuenientes. Atque adeò, quòd omnia ſuperat, Paulus omnium maior, factus eſt omniũ miniſter, & inter pauperes ſemper pauperior ipſe viſus eſt. Iter facturus, pedeſter; ita vt qui iuuenis abſq; nauigio, aut equo ne miliarium quidem pedibus cõficere poterat, ſenex ieiunus (vt ipſe in Epiſtola ad Marcum Antonium Flaminium teſtatur) viginti miliaria ambulabat. Erat certè in ſe ipſum adeò crudus, vt tunica, quę aſperrima ſimul, & ſtrictiſſima ambitu erat, aliquando in itinere ex eius nudis tibijs ſanguinẽ, rupta pelle, eliceret. In ſumma in infinitum tendere dicerer, ſi cuncta eius ſtrenuè facta enumerare vellem. Diuulgabatur interdum ſeruorum Dei mirabilis conuerſatio: ideoque vndique ad eos confluebant homines religioſum habitum auidiùs expoſcentes. Venit tunc temporis ad Criptas Innocentius quidam Florentinus genere: vir iam dudum ſolitarię vitæ deditus,

ſed obedientiæ inexpertus, habitū ſumpſit, & in humili ſubiectione didicit obedire. Obtinuerat Innocentius in Apulia à Lacinenſi Epiſcopo Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Spiritu ſancto nuncupatam, ſitam in aſperrimo monte, locoq; deſerto, in qua ipſe per annos aliquot habitauerat. Eandem Patribus vnà ſecum obtulit vir bonus: eòq; idem illuc cum ſocijs paucis mittitur, quò & eundem locū Eremitico more conſtruat, & alia Eremitoria, ſi Deus dederit, alibi erigat. Quod tanta diligentia, ac ſedulitate fidelis Dei ſeruus adimpleuit, vt duas prę ter hanc, Eremos in breui obtinuerit in patria illa, & mirabili compendio temporis habitandas dederit. Vnde noſtri in Apulia tria loca poſſederunt. Innocētius iſte oblatum clericatum renuit, libenter in conuerſorum claſſe abiectus laicus Deo ſeruire eligens. Miſerunt ergo Patres ad ſingulas Eremos, quoſdam de fratribus ſocietatis, inter quos fuerāt venerabiles Sacerdotes Romualdus, & Zacharias, quorum alter Fabrianenſis, alter verò Siculus, probatæ ſanctitatis
 ambo.

ambo. Sed de ſucceſſu iſtorum inferiùs latiùs diſſerendum erit. Pòſt Innocentiũ præfatum acceſſit venerabilis Romualdus Fabrianenſis, qui intuitu virtutis magis quàm peritiæ factus eſt ſacerdos. Homo natura blandus, & quietus: mundanæ ſapientiæ penitùs ignarus; ſpirituali autem ſapientia plenus: omnis terreni cõmercij inexpertus; quia omnis conuerſatio eius in cœlis erat. Semper in caſto Dei timore manens, cordis ſui cuſtodiæ inceſſanter intendebat; quare tantam carnis puritatem adeptus eſt, vt nunquã ſit cum mulieribus coinquinatus. Quãta rurſus in homine humilitas deſiderari debet, in ipſo proculdubiò fuit: ore tacitus, mente quietus, corde ſemper in Deũ eleuatus, mortalem maculam nunquàm ſciens contraxiſſe creditur. Tãta inſuper ſimplicitate præditus, vt cum Paulo illo magni Antonij diſcipulo meritò veniat comparandus. In laboribus, & ærumnis vſquequaque patientiſſimus, adeò vt ſemel ex Apulia in Picenum rediens à latronibus in itinere captus, inq; mediam ſyluam deductus, & arbori cuidam alligatus,

gatus, ne minimum quidem męstitiæ signum ostenderit: quin & bis baculo percussus, in sua spirituali alacritate immobilis permansit: cùm tandem astricto ense prædones illi mortem comminaréntur, intrepidus persistens: facite, inquit, quicquid vobis ex alto permissum fuerit, mihi enim nihil interest cras, vel hodie mori: nam quod Deus cras daturus est, dabit & hodie. Prætereà in oratorio diuinis officijs continuus etiam decrepitus vsque ad vltimum diem (nisi infirmitate præpeditus) tenaciter perstitit. Semper in Psalmis, meditationibusque occupatus, vix momento ab oratione vacabat: facies eius nunquàm perturbata visa est, sed semper hilari vultu cunctis apparuit, ex ore sacro quasi tacitũ risum ac tenuem producens. Quod ei adeò assuetum fuit, vt etiam moriens ridenti similis absq; dolore, vel horroris signo, spiritum afflaret. Obijt autem beatus iste nonagenarius, post annum 56. conuersionis suæ in Monasterio Sancti Saluatoris Montis acuti MDLXXIX. Ijsdẽ ferè temporibus ingressus est Religionẽ

hanc

hanc Placidus conuerſus ex Fracta Vrbini ortus, vir quadam naturali grauitate dotatus, ſtatura procerus, corpore robuſtus, & laborioſus, promptus, & fortis, literarum rudis, ſed ingenio ſagax, ac iudicio clarus. Legalis, ac fideliſſimus in omnibus actionibus ſuis. In ſolitaria cella ſilens, & abſtinentiſſimus: obedientię, & regularibus obſeruantijs iugiter incũbens: ad exteriora negotia (ſine quibus Religio ſtare non poteſt) diligentẽ, atq; vtiliſſimũ ſemper ſe præſtitit. Vnde per annos multos œconomus cõſtitutus totum patrimonium Abbatiæ ſancti Saluatoris tanta diligentia, ac rectitudine adminiſtrauit, vt ea in re nec hactenus parẽ habuerit, nec habere ſperetur. In hoc autem mirabilis fuit: quòd ſiue iter faciens, ſiue manu laborans, domi vel foris agens, regularia ieiunia, Eremiticasque panis & aquæ abſtinentias nũquàm prętermiſit. Denique in controuerſijs componendis ſpeciale donum à Deo habuiſſe, omnes qui eum norunt, autumant: ideoq; quoties inter paganos illos Fractenſes aliqua de rebus ruſticis orirẽtur

iurgia,

iurgia, seu quæuis dissidia nascerentur: adeamus, aiebant, Fratrem (sic eum per Antonomasiam vocabant) & quicquid ipse dixerit, sequamur. Vixit annos 78. in Religione verò 55. Obijt circa annum MDLXXX. Quantum iste religioni profuerit, si plenè ostendere velim; nouo, ac longo tractatu opus esset.

VNIO QVAEDAM INTER nostros, & Camaldulenses inita, & Iustiniani Bergomensis ingressus. Cap. XI.

NE QVID narratione, cognituq; dignum negligere videamur, non erit abs re hìc quandam vnionem inter nostros, & Camaldulenses initam paucis adnotare: quò pleniùs totius ordinis animus erga societatem hanc dignosci queat. Dum igitur prædicto modo dilataretur, eaque prosperitate frueretur noua Romualdi progenies: dum, inquã, in tanta quiete agerent Patres nostri, ecce ad Criptas missi sunt venerabiles Bernardus Pistoriẽsis,

&

& Ventura Heluetius totius ordinis Camaldulensis illo anno visitatores: quò, videlicet, cum Paulo de cõiungenda sibi noua congregatione tractarent. Quod quidem negotium haud difficile fuit: eò quòd ab vna, eademq́ue radice vterque ramus procederet: nec in substãtia professionis aliqua esset differentia. Paciscitur ergo, vt noua societas in suo maneat & conseruetur statu, ritu, & cęremonijs: saluis quoque sibi cunctis priuilegijs, ac facultatibus suis: manente etiam auctoritate celebrandi capitulum, prælatorumq́ue eligendorum plena potestate. Item vt dilatari ad libitum possit, & quęcunque opportuna, ac benè visa in augmentum, vtilitatemve eiusdem facere: veluti nouas Eremos erigere, constitutiones cõdere, & omnia necessaria adimplere. Et tandem vt suo naturali nomine (hoc est) societas Eremitarum sancti Romualdi nominaretur. Econtrà sacræ Eremo hoc solummodò reseruatũ fuit, vt in suo capitulo generali quotannis Maior nouæ societatis eligeretur: & per visitatores ordinis singulis triennijs no-

ui Eremitæ visitarentur. Et quædã alia, quæ in eiusdem vnionis instrumento latiùs apparent: quod actum est Fabriani, vndecima Decembris, M D X X I I I. confirmatũ per Reuerendos Patres Cyprianum Abbatem Vallis Castrẽsis, Paulum Laudensem vicarium generalem, & Visitatores præfatos: Paulo Iustiniano pro societate agente. Inter alias cõditiones hæc præcipua fuit; vt in sequenti capitulo generali omnia prædicta confirmarẽtur: quod astu, fictaque intentione factũ fuisse, rei euentus probauit. Quod cùm de eiusdem vnionis rescissione agetur, manifestiùs demõstrabimus. Ex hac nihilominus concordia magnum bonum societati euenisse in confesso est; nã eius occasione (quia ea vnione stante ab Eremo sacra ad nostros, & èconträ transitũ facere cuique licitum erat) aliqui Camaldulenses in Picenum ad Paulum venerunt. Quorum insignior Iustinianus Bergomas, vir doctrina eximius, eloquẽtia rarus, naturali ingenio clarus, moribus ornatus, ac religione pius: de quo Delphinus pluribus in locis plenum, ac

pul-

pulchrum reddidit teſtimoniũ. Hic primò Monachus Benedictinus, poſteà Eremita factus, per annos octo, vel circiter Camalduli vixit: vbi cum noſtro Iuſtiniano magnam contraxit in Spiritu ſancto neceſſitudinẽ. Vnde iam à principio optauerat ipſe ad Criptas deſcendere, ſed ſua prudentia, ac maturitate vtens, honeſtam cauſam id faciendi voluit expectare, quam adeptus ſtatim arripuit. Iuuit etiam hoc pium deſiderium, quod ipſe nuper ſtrictioris vitæ cupidus recluſionem à ſuperioribus humiliter petierat, quę penitùs ei fuerat denegata. Quãtus hic in religione noſtra fuerit, quantumq́; ipſam iuuerit, & auxerit, ſuis in locis apparebit: nunc autem hoc vnum dixiſſe ſufficiat, quia per annos triginta, aut eò ampliùs ſocietatem laudabiliter rexit.

DE CONVERSIONE GAleatij Gabrielij Fanenſis. Cap. XII.

GALEATIVS Abbas, cuius non ſemel retrò mentionem fecimus, per annos quatuor, poſt primã eius promiſ-

ſionem

ſionem, quia diues erat, ſuam conuerſionem protraxit: qui tamē anno XXIIII. prudenter religionis ſucceſſu conſiderato, ac penitùs à thecnis, tricisq́; Mundi extricatus, ſe ipſum Deo dare non contentus; ſua etiam omnia, tàm eccleſiaſtica, quàm ſecularia bona vnà ſecū dedit. Habitum namq; Eremiticum ſuſcepturus, ita ſe Deo vouere voluit, vt nihil omninò ab Apoſtolica conuerſione diſcreparet. Cuius vtique ingreſſus pleniſſima religionis huius confirmatio extitit: putà, quia ab eo vnde ſuſtentaretur, accepiſſe exploratum eſt. Idcircò meritò illi nomen Apoſtoli Petri in conuerſione ſua datum eſt: pro cuius Simba, ac rete, beneficia, & patrimonium reliquit; vt Chriſtum expeditus, nudusq́ue ſequeretur. Diximus ſuperiùs hunc obtinuiſſe, præter alia beneficia, Abbatiam ſancti Saluatoris Montis acuti diœceſis Peruſinæ. Monaſterium hoc, ordinis olim Ciſtercienſis, antiquiſſimum eſt, quantùm ex conſecratione Eccleſiæ percipitur; quæ facta eſt anno ab Incarnatione Domini MCV. ditiſſimum olim non ſolùm
poſ-

possessionibus, sed & vasallis, villis, & castris; necnon iurisdictionibus, & dominijs; quod latiùs apparet in quodam vetustissimo instrumẽto; cuius transumptũ in archiuo MONTISCORONAE custoditur: reperto mirabili modo in Monasterio sanctæ Columbæ Perusij. Quæ omnia elapsis temporibus, ingruentibus Tirannorum bellis in Hetruria; dissipata, direpta, atque vsurpata fuere: & quod durius est, ipsius Monasterij ædificium dirutum; nunc autem à Patribus appositè reparatum. Nam præter claustrale ædificium, in quo multæ ac perutiles tã infirmis, quàm bene valentibus mansiones refectæ, nouiterque fabricatæ hodie cernuntur: templum quoq; non mediocriter ornatum conspicitur. Templum verò istud magnitudine rarum; vetusta structura magnificum, operis artificio mirandum. Nimirùm latitudine, longitudineq; spaciosum, ac mira profunditate sublatum, cuius pauimẽtum in duas figuras diuisum constat: quarum altera humilior, defunctorum sepulchra continet: altera fortissimæ testudini imposita

altior

altior habetur, quæ in tria ſpacia, ſeu ambulatoria mediantibus columnis ſub nouis teſtudinibus poſita diuiditur: in quorum medio maius altare pulcherrimum, ad cuius poſteriora Chorus, dum hæc ſcribuntur factus, materia, & arte pulcherrimus. Sub inferiori teſtudine, quæ multis columnis innititur, ſacellum Beatæ Mariæ ſacratum, miræ deuotionis continetur. Eſt autem Monaſterium hoc non longè ab oppido Fractæ, quæ Peruſina dicitur, fundatum in calce Mõtis Acuti, à Tyberi amne notiſſimo vix centum paſſibus diſtans. In plano iacet, ad orientem torrẽtem quendam habẽs, à cuius aquis ſtatim in Tyberim defluentibus, ædificij fundamenta continuò abluuntur. Ante hoſtium non paruæ magnitudinis ager aperitur, ab vtroq; latere iuxtà fluminis ripam in longum prætenſus. Eſt & molendinum ad fines agri poſitum: ſunt & vineæ, & multæ vlmis coniunctæ vites: ſunt caſtaneta, ac frutecta plura: necnon trans Tyberim latè patet patrimonij territorium. Vnde non exigui fructus quotãnis prouenire ſolẽt.

Ex aduersa prædicti torrentis ripa, qua Orientem respicit, Mons quidam insurgit, cui Coronæ nomen indiderunt antiqui: mons, inquam, non modicæ celsitudinis, nec paruæ latitudinis. Ab Oriente Tyberis vnda, siue alueo per duo miliaria circũcinctus: à meridie torrente concluditur: ab Occidente tandem valles habet duas in primum torrentem decidentes. Ab alijs quibuscumq; montibus longè distinctus, ac separatus sedet, propter plures ac fultissimas syluas visu pulcherrimus; castaneis, malorum copia, alijsq́; omnis generis fructibus abundãs, lignorum abundantiam, & olei copiam cultoribus præbens, nec pascuis carens. Talem quippè locum futuris seruis suis iam olim Deus præparauerat. His ergo beneficijs simul cum Galeatio, Dei prouidentia acquisitis, Patres quasi plenum prouectum, ac stabilitatem nouæ societatis cernentes, incessanter vigilabãt meliori quodam, ac perfectiori ordine in dies cuncta disponere.

DE RECISIONE PRAECEDENTIS vnionis. Cap. XIII.

CVm de quadam vnione, siue cōcordia inter nostros, & Camaldulenses inita ageremus, hanc conditionem contractui quadam sancta astutia appositam, dixisse memores sumus: vt, videlicet, in primo generali capitulo omnia pacta, & conuentiones nouam confirmationē accipere deberent, quo res ipsa suum robur, atq; firmitatē adipisceretur. Id autem quam ob causam factum fuerit, ex subsequentibus fiet manifestum: finis tamē eorum optimus. Cuncta etenim excogitata fuerant, quo abolito nomine nouæ societatis omnes eius colonos ad se traherent, & vniuersa in eorum commodum verterentur: nam tunc temporis sacra Eremus penuria hominum satis laborabat. Quam penuriā non parum augebat discessus eorum, qui illinc ad nostros in dies descendere cernebantur: quod inconueniens radicitùs tollere, illis visum est necessarium. Ac proinde Capitulum, quod sequenti anno

celebrandum erat, in alium ſequentem, vt noſtros quadam moleſta expectatione afficerent, præter morem & conſuetudinem protractum eſt. Rurſus, dum dilatio iſta prolõgatur, multa per Camaldulenſes Patres contra pacta, & cõuentiones innouata fuere, quæ vix honeſta, nedum iuſta cenſebantur. Tandem aderat tempus, quo Camaldulenſes Patres ad generale Capitulũ conueniebant, quod celebratum eſt in monaſterio Claſſenſi anno MDXXV. Quam ob rẽ vt inchoatæ concordiæ, ſiue vnioni vltima imponeretur manus, venerabilis Paulus cum Hieronymo Sueſſano illuc properare coactus eſt. Et ne in ratiocinijs hinc inde in Capitulo ſuper hac re deductis tẽpus ſuperuacuè conteramus, cõcluſione facta, Patres Diffinitores Paulo ſuadere conantur, vt nulla concordiæ mentione habita, ſe, ſuosq; Camaldulo ſubdere non recuſet; obijcientes ei pauperrimæ vitæ labores, ac nimiam in ea perſeuerandi difficultatem; ſicq; ſacræ Eremi opes ſocietati ſuæ lucri facturum ſe, eoq; in æuum permanſuram, alioquin in

breui

breui finem habituram eius religionem: quod si facere recuset, anullandas esse cō uentiones omnes cū Visitatoribus olim initas. Quibus auditis, virili vultu, vt ei de more erat, Paulus in hunc modum respondit. Ego Patres, ob spiritualia bona, non propter temporalia commoda in vnum vobiscum conuenire optabam, simulque conuiuere: temporalis autem vtilitatis ratione subiectionem, quā exposcitis de nouo facere, neque ratio postulat, neq; charitas patitur. Is ego sum, qui nunquàm de misericordia Dei despe rauerim; sciens Dominum mendicorum ac pauperum suorum esse sollicitum; vt potè, qui non derelinquit quærentes se. Quod sanè non solùm sacrarum scripturarum testimonijs didici, verùm etiam re ipsa plenissimè sum expertus. Ecce ab hinc annis quinq; ex vestris Alpibus descendens, cum baculo (velut alter Iacob) transiui Iordanem; & nunc cum turmis Fratrum reuertebar ad vos. At pascua ouibus meis defutura nihil vereor: ille namque, qui producit in montibus fenū, & herbam seruituti hominū; ipse dabit

& gregibus meis (quorum indignum me paſtorem fecit) vberrima pabula. Non magnis opibus egent, qui leuiſſimo cibo ac parco, qui viliſſimo ac rudi tegumẽto contenti ſunt. Has tandem diuitias, quas nobis offertis, vobis in pace habete: nos in paupertate noſtra lætantes permanebimus. Quod de diſſoluendis conuentionibus locuti eſtis, non diſplicet, dummodò alio nouo inſtrumẽto diſtractus fiat, in quo primus contractus perfringatur. Hæc itaque cùm vtrinque placuiſſent, facta eſt noua ſcriptura, quã authenticam apud nos habemus, ſtipulatam in eodem monaſterio per Fratrẽ Pariſium Capituli Scribam, die decima Maij M D X X V. qua primus vnionis contractus reciſus eſt.

DE PRINCIPIO CAPPVCINORUM. Cap. XIIII.

PRAEDICTO modo ſopito negotio, dùm Paulus ad ſua reuerſus in Eremo Criptarum, in cauernis illis, optatam duceret quietem: ecce

ecce ſequenti anno xxvi. duo Fratres ordinis ſancti Franciſci de obſeruantia ad eundem veniunt. Ij Fratres germani erant, patria Foro Semproniani: quorũ alter Ludouicus, alter Raphael nuncupatus. Ambo (res mira) Spiritu Dei agebantur neſcientes: nam cum Apoſtolica licentia à propria religione diſceſſerãt: ac proinde vagãtes Italiam circumibãt, quò tenderent, aut quid quærerẽt, prorſus ignorantes. Audita deniq; Pauli ſuorumq; pia conuerſatione, quaſi curioſitate quadam ducti, illuc acceſſerunt; vbi per dies aliquot commorati, ſolitariæ vitæ amore capi, atq; tale inſtitutũ laudare ceperunt. Veruntamen cùm Dei voluntas, cui reſiſtere nemo poteſt, aliò eos vocaret: vtriuſq; animus, immò diuinus ſpiritus manere ibi non permittebat. Poſtremò de ſe ipſis piè propter mentis inſtabilitatem conquerentes, ruboreq; perfuſi erubeſcentes inde diſceſſerunt, in patriam reuertentes. Erat tũc temporis quidam Frater eiuſdem ordinis, nomine Matthæus à Bacio, qui ſimplici licentia Papæ habitum, quo nunc

vtuntur Cappucini, primus omnium induerat(quo tamen nō ſemper vtebatur) ſicque indutus ſine certa ſede per varias Italiæ prouincias diſcurrēdo (paſſim infernum conclamando) æternas pœnas peccatoribus ſine arte aliqua ſola vociferatione comminabatur : in quo exercitio & vitam conſumpſit, dieſque ſuos Venetijs clauſit . Erat & in territorio Carraceti quidā Frater Franciſcus Eremita ætate decrepitus, infirmus, ſui præ ſenectute impotens, vita præclarus, atq; Prophetiæ ſpiritu dotatus . Hic præfatū Matthæum monſtruoſo habitu indutū (per biduum antequàm accederet)ad ſe venientem in viſione vidit . Ecce venit equidē Matthæus, vt ſenex prædixerat : quo viſo, exultauit animo infirmus, & illum eſſe verum, natiuumq; Diui Frāciſci habitum pronunciauit. Ijſdem diebus, dum Matthæus illic ageret, ad ſanctum Eremitam viſendum, non ſine Dei operatione, accedunt Semproniani Fratres. Qui cùm Matthæi nouum indumentum conſpicerent, audiſſentq; ab ipſo ſene illam propriam eſſe beati Franciſci veſtē,

non

non dubitarunt, aſſuetis veſtimentis re-
iectis, illam ſibi aſſumere gaudentes. Illo
igitur nouo, & nondum perſpecto habi-
tu induti ad noſtrum Paulum in Criptis
adhuc agentem reuertuntur. Cui mirāti,
cauſasq; tantæ mutationis perquirenti,
rem, vt geſta eſt, geſtientes præ gaudio
narrāt: cùmq; inſtaret Paulus quid inde
agere cum nouo habitu intenderent: ſe
penitùs neſcire, quadam erubeſcentia,
fatentur. O quàm incōprehenſibilia ſunt
opera tua Domine: ò quàm inexcruta-
biles ſunt viæ tuæ. Relinquunt primam
Religionem; habitum mutant; huc, atq;
illuc curſitant, quid ſibi expediat, delibe
rare nullo modo queunt: ignari prorſus
quid iſta parturiant. Atqui non dormit
interim Satanas, timens ſagaci coniectu
ra id, quod poſteà ſecutum eſt: eòq; il-
lorum præpedire vias non ceſſabat. Fa-
ctum eſt ſiquidem, vt dum apud Paulum
modicam capiunt refectionem, à curiæ
ſecularis miniſtris inuaſi raperentur, &
vincti ducerentur in carcerem Maſſacij:
& hæc facta ſunt inſtātibus Franciſcanis.
Paulus contra tantam iniuriam Deo pri
mùm,

mùm, deinde ſibi ac Religioni ſimul, ob ſacri loci violationem illatam diſſimulare non potuit. Captos pauperes viriliter repetit contra renuentes captores (in vim priuilegiorum ſuorum) fulminat excommunicationem. Quo factum eſt, vt cuncti ſeculares miniſtri ad Patris pedes reuoluti reſtituerent captos. Qui ne alia noua malitia vexarentur, ſtatim noctu per noſtros ad Paſcilupi rupes tranſmiſſi ſunt. Hinc poſt dies paucos, quaſi oues aberrantes, Camerini proueniunt. Ciues ridiculos cucullos aſpicientes irrident homines: pueris poſt eos acclamantibus, Cappucinos, Cappucinos: ex qua acclamatione tale illis nomen remanſit: & ex ore infantium perfecta eſt laus. Narratur Ducisſæ quaſi inaudita viſio: iubet illa accerſiri homines: veniunt in Ducale Palatium viri. Quibus viſis, nō riſit, ſed obſtupuit nobiliſſima mulier. Hæc Genuenſis erat, Catherina de Cibò vocata. Percontatur diligenter ab eis quid ſibi velit monſtruoſæ veſtis forma, quò tendant, quæ eorum religio, quidvè facere intendant? Tunc primũ apertum

eſt

est os illorũ,& locutus est Spiritus in eis: quid pectore gerant pleno Ducissæ intimant sermone. Illa diuinitus afflata, sine mora ad Clementem Septimum, qui tũc Petri claues tenebat, scribẽs misit; à quo sine difficultate aliqua, plenissimũ indultũ pro fundatione Regulæ Cappucinorum obtinuit, & iuxtà vrbem eis monasterium ædificauit: quod primum huius religionis fuit. O ineffabilem Dei sapiẽtiam, quã suauiter omnia per te disponuntur. En tibi optime lector, quomodo tãta, tamq; sancta religio incepta sit. En quàm pauperes, quàm simplices habuit auctores. En denique quale principium eius, & quàm miraculosum extitit. Hoc prætereà sciẽdum est ex illa prima cum nostris Eremitis breui cõuersatione semper inter vtramq; religionẽ, quãdam radicatam mansisse mutuam charitatem, & sanctissimam amicitię coniunctionem. Item à nostris quædam peculiariter sibi communiter seruanda sumpsisse: quale est, barbam oblongam deferre: necnon sine cantu, solaq; distincta pronunciatione diuinas laudes persol-
uere

uere, & quædam alia minuta. Quemadmodum posteà hæc eadem Cappucinorum religio per Franciscum Astensem, & Bernardum Eginensem, & alios religiosos viros ampliata fuerit, non est nostrũ pertractare: quamobrem ad ea, quę dudum reliquimus, redeundum est.

PAVLVS PRAEVIDET INfortunium venturum. Cap. XV.

ÆQVVM esse duximus, ne aliqua sancti viri virtus occulta remanere cõtingat, pręuisum ab ipso infortunium illud, quod Romæ simul cum Petro Fanẽsi inuitus expertus est, succinctè exarare. Sciendum igitur Abbatiam sancti Saluatoris, in renunciatione ab ipso Petro facta, non fuisse in perpetuũ societati vnitam, sed ad vitam ipsius renunciantis tãtùm. Quam ob rem nostrates omnes Patrem stimulare non cessabant, vti viuente Clemente Pontifice, illi, societatique propitio, perpetuam vnionẽ obtineret. Ea igitur die, qua vnà cũ Petro iter facturus erat, aurora illucescente (re sacra

peracta)

peracta)titubare,seu veriùs timere agni tus est: cui Petrus; cur Pater ad iter non accingimur? Ego,ait ille, timeo frater, ne citiùs quàm oportet, Romam perueniamus: sentio enim aliquid nobis aduersi imminere. Cùmq; omnes eũ alacriter ad iter verbis multis impellerent, nec esse imaginationibus vanis credendum affirmarent: vtinam, inquit, fallar ego, dummodo vos veraces dicere possim. Sed ne animos vestros contristare videar, ibo: sciens vtiq; nullibi nos manus Dei posse effugere, vel eius reniti voluntati. Et baculo assumpto, viam qua iturus erat, Petro sequente, ingressus est. Cùmq; vix triduo Romæ cõmorati essent: ecce de repentè furia illa infernalis: Dux, inquam, Borbonius cũ exercitu suo eandem vrbem inuasit, quæ (vt nota est historia) capta, direpta, & miserè deprędata extitit. In ea direptione nemini parcitũ est, nec etiã Papæ: sed vt alios missos faciamus, Patres nostri per manus Teutonicorũ capti, captiuatiq; sunt: & cũ eis vir clarissimus Ioannes Petrus Carrafa Episcopus Theatinus, qui postea

ſteà Cardinalis factus, & deinde in Papā aſſumptus, Paulus Quartus dictus fuit. Etenim ij cū alijs multis ad Eccleſiam ſancti Iacobi, quæ Hiſpanorum dicitur, confugerant. Sed (vt Horatius ait) cantabit vacuus coram latrone viator; videbant eos milites in habitu pauperrimo, nihilque habere intelligebant; quocirca eoſdem illæſos dimittere non ſunt diù tergiuerſati. Dimiſerūt quoq; Carrafam prædictum, pauperrimū tunc temporis virū. Ij tres ſimul, ne iterū in manus militū inciderent, ad mare currunt, inde nauicula vecti in Tuſciā deducūtur: hinc denique Venetias terreſtri itinere pergere decreuerūt. Vbi relicto Carrafa, Patres ad ſua feſtini per Adriaticum ſinū remearunt Eremitoria. Ferunt per eundē Carrafam, dum illa vice Venetijs ageret, cœnobium ſancti Nicolai Teatinorum fundaſſe. Extat præterea Epiſtola quędam propria manu ſcripta, ex qua oſtēditur eundem Carrafam voluiſſe cū quibuſdam ſocijs ſimul cum Paulo Eremitam fieri; ſed ad aliud maius à Deo vocatus, nō potuit deſiderium adimplere.

Belli-

Bellicum illud flagellum secuta est, haud multò pòst, atrocissima pestis, quæ non vnam, aut alterã vrbem, sed vniuersam infecit Italiam. Hæc epidemiæ lues nesciens parcere bonis, nec Paulum pijssimũ Dei seruum immunem euadere permisit; immò eum in inguine crudeliter percutiens, ad vitę discrimen vsq; perduxit: qui tamen Dei beneficio, & suorum Fratrum assiduis precibus, paulatim declinante morbo, non sine magno, diuturnoq; labore, saluti restitutus fuit. Vix cicatricis cute obducta, Romã redire necesse habuit: quo simul duobus Fratribus Camaldulensibus, sibi nimia charitate iam olim astrictis, eius apud Pontificẽ interuentione egẽtibus, subueniret.

DE MORTE PAVLI, ET LAVdibus eius. Cap. XVI.

ITAQVE cùm primùm Romam venerat Pater, pedibus oscula daturus ad Clemẽtẽ ingressus: Abbas quoq; sancti Pauli extra vrbem ordinis Cassinensis præsens aderat, qui tali nomine

Eccle-

Ecclesiam sancti Siluestri montis Soractis possidebat. Senserat iam aliàs Pontifex hũc locum à Paulo desiderari, adq; solitariã vitam esse valdè idoneum: cũq; ambos coram se aspiceret, ab Abbate consensu habito, Paulo dictam Ecclesiã cum suo Monte, aut certè parte illi contingenti concessit. Verùm dum hoc negotium agitur, dumq; in liberandis Fratribus prædictis Romę detinetur Paulus, dolore capitis, leuiculaq; febri laborare cepit. Sed ne charitatis opus infectum desereret: donec Fratres liberaret, sustinuit. Febricula igitur illa affectus, ad Montem Soractem, viginti passuum millibus ab vrbe distantem, se (vt meliùs potuit) confert: vt Romam nondũ peste purgatam fugeret, ac salubriorem aerẽ, qualem Mons ille habet, sibi comparatũ experiretur. Veniens tandem illuc ab habitatoribus charitatiuè suscipitur, ac benignè tractatur. Verùm crescente per singulas horas radicata semel febre, breui temporis spacio ad mortis articulum senex deuenit. In extremo hoc, cũ periculosum videret eum Cõuersus itineris

comes

comes (cui Iacobus nomen erat, patria Eugubinensis) in lachrymas prorupit. Quod sentiens pius Pater: quid, inquit, luges frater? Cui ille: Lugeo optime Pater, videns te morti propinquum, nec est qui te exeuntem pijs verbis (vt fieri solet) consoletur: meque tuo dulcissimo aspectu priuari, & omnium fratrū meorum carere auxilio concernens. Ah modicæ fidei, infirmus ait, nunquid deerit nobis Deus? & si ille nobiscum est, alterius auxilio non egemus. Bono animo esto, non deerunt nobis consolatores, aderunt & adiutores tibi: cuncta Deo remitte, disponat ipse secundùm voluntatem suam. Ecce vix vnius horæ spacio transacto, cellam in qua languens iacebat, ingreditur venerandus Pater Gregorius Bergomensis Eremita: qui & Maior sacræ Eremi Camaldulensis; & circa annum M D X I. Prior quoque fuit generalis, vt quodam publico instrumento constare vidimus. Erat autē alio Sacerdote, & Commisso quodam comitatus. Apud quem Paulus semper in magna veneratione fuerat. Cùm itaq; Gregorius

præfatus Romam iter faceret, negotia quædam ſuæ Eremi expediturus: dumq; in quodam ex hoſpicijs illis, quæ ad radices eiuſdem montis ſunt, reficeret: narratum illi eſt in Eremitorio ſancti Silueſtri quendam ſui ordinis Eremitam grauiter infirmari: ille de corporis habitudine & indumentis certior factus, plenè cognouit infirmum Paulum Iuſtinianum eſſe. Nec mora, relicto itinere, feſtinus Soractem Montem aſcendit: & vt diximus, ad cellã morientis amici peruenit. Viſo autem infirmo ſimul cũ lachrymis hæc verba effudit. Noſti optime Pater, me tibi ſemper fidum fuiſſe in Chriſto fratrem: nec ignoras quanti ſemper fecerim ſalutem non corporis, ſed animæ tuæ. Ecce Dei prouidentia factum eſt, vt hac tranſitus tui hora ego adeſſem tibi; qui eodem fidelitatis zelo, quo hactenus tecum egi, te ad fœlicem exitum bona firmaq; fide ſuſcipiendum exhortarer. Et hinc exordium ſumens ex literis ſacris, ac Sanctorum optimè dictis documẽta multa, ac ſalutiferas doctrinas adducens, in longum protraxit ſermonem:

quo

quo propter eius efficaciam, morientis animam contra vim morbi in corpore retinebat. At eo modicũ loqui cessante, respirans Paulus exclamat: Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Non mei meriti fuit, sed diuinæ miserationis opus: vt tu charissime frater & Pater mihi emigrãti assisteres, meq́; catholica exhortatione morientẽ in fide confirmares. Qua de re Deo meo primũ, ac deinde tibi gratias ago ingentes: oroq́; supplex, vt sicut lætatus sum in his, quæ dicta modò sunt mihi: ita Dominus concedere dignetur, animam serui sui lætantem ire in domũ suã supernam, eiusq́ue pedes stare faciat in atrijs cœlestis Hierusalẽ. Adesto tu iam mihi, ò Iesu bone, vnica spes mea, sola salus mea; cui soli vixi, cui vni morior: & suscipe in misericordia tua spiritũ meũ, quem in manus tuas commendo: quia tu redemisti me Deus veritatis. Quibus sic dictis in bona pace quieuit, die 28. Iunij, vigilia Apostolorum Petri & Pauli, anno vt diximus, M D X X V I I I. ætatis suę quinquagesimosecundo. Venerabilis autem

Gregorius Pater inde nõ recessit, donec defuncti corpus debitæ sepulturæ datum est: & fœliciter emigratæ animæ iusta persoluit. Exultate ergo in Domino, ò vos fœlices tanti viri discipuli, ex prænarrato fine certiores facti, fidelissimum Dei seruum fuisse magistrũ vestrum: qui in pauca fidelis repertus, suprà multa à Domino constitutus, atq; in gaudiũ Domini sui ingressus, iubilo plenus regnat in cœlis. Lætare & tu Eremus sacra Camaldulensiũ, quæ tam præclarũ Mundo, Deoq́; dedisti alumnum: à quo vicissim tàm scita dogmata, tàmque multa bona recepisti: quiq́; pro reformatione, siue tui instauratione tàm multos pertulit labores. Venerare eum, cuius miraculosa opera tu brachiũ sanctissimi Romualdi decorata, ornataq́; possides: quo per annos quingẽtos carueras. Iubila tu quoq; tãto auctore sata, vltima Romualdi proles, vniuersa Eremitarũ Montiscoronæ societas: iubila, & gaude tanti syderis illustrata fulgore, omniumque mirabilis progenitoris tui virtutum ditissima hæres.

VIRTV-

VIRTVTES, ET OPERA PAVLI describuntur. Cap. XVII.

QVIS quæso, eius animi dotes, quis charitatis ardorem, quis integerrimæ vitæ sanctitatẽ, aut proprios perfectionis in eo gradus adnumeret? Hic verè Israelita, in quo dolus non est inuentus. Hic lucerna accensa sub modio non abscondita, sed posita super candelabrum, vt religionem ingredientes lumen viderent: nec habuit mnam à Domino sibi traditam, repositam in sudario: quinimmò sanctè negotiando, eius mna decem mnas fecit. Hic verè diuitiarũ osor, qui semel & iterũ possessas opes contẽpsit: religiosæ obseruãtiæ vnicum exemplar: austeritatis Eremiticæ perpetuus vindex: in laboribus perferendis strenuus, & infatigabilis. Hic doctrina plenus, verbo potens, calamo facundus, atq; luculẽtus. Nec vacua fuit in eo gratia Dei; cũ multos à via peccati conuerterit, quos secum ad Religionem traxit: plures vel alibi, vel domi piè viuere edocuit: innu-

meros à blanditijs ſeculi ad duriſſimam pœnitentiam, viuo ſermone, operibus exhibitis tranſire compulit. Scripſit præterea (vltra ſæpe commemoratas conſtitutiones Eremiticas, ſeu regulam) opuſcula multa, & præclara, è quibus excuſſa publicè circumferuntur nunquàm ſatis laudatus libellus, cui titulus eſt, Tractatus obedientiæ. Necnon & alter libellus ſub nomine Epiſtolæ ad Marcum Antonium Flaminium virum doctiſſimum miſſæ: vbi vera hominis fœlicitas, ſeu beatitudo, quæ ſit, fuſiùs perindè ac diſertè demonſtratur. Necnon alius de officio Pontificis ad Leonem Decimum. Item extat tractatus de decem gradibus amoris Dei perutilis, atq; elegantiſſimus: qui licèt ſuis partibus abſolutus, tamen neglectus iacet. Nouiſſimè compoſuit tractatum de pœnitentia; quam ipſe propria experientia, nedum longa lectione didicerat. Alterum conſcripſit de contemplatione ex varijs auctoribus recollectum: cui tertium addidit de Euchariſtia. Reliquit & non pauca opuſcula, nimirum morte

prçoc-

prȩoccupatus imperfecta: quæ omnia simul cum supradictis sparsa, & dissipata, puluereq; obsita hactenus reperiuntur: eademque cõmemorat in quodam memoriali inde confecto venerabilis Pater Iustinianus Bergomensis: quȩ centenarium numerum superant; vbi videas. Miracula fecisse absolutè non affirmabo, sed miraculosè quȩdam eum operatum fuisse dicere ausim: è quibus prȩcipua saltem referre non pigebit. Ac primùm cùm ei à presbytero quodam muliercula tertij ordinis Sancti Francisci tanquam sancta laudaretur, talemque propter eius mirabilem vitam, propterque eius miranda facta, ab omnibus haberi, ac reputari asserebat presbyter: propterea quòd quotidie communicabat, & futura prædicebat, & sæpe hostia è manibus presbyteri in os eius communicantis per se euolabat. Ostende, inquit Paulus, & mihi mulierem istam; & secutus presbyterum ad mulierem peruenit. Quam statim vt vidit, non est Dei spiritus eius, ait, sed fraus inimici latet in ea. Obstupuit Sacerdos,

& qui cum eo erant, in verbis istis: & quasi delirum irriserunt Patrem. Atqui ante decimumquintum diem decepta fęmina in furiam conuersa, palàm ostendit quid gerebat in pectore; atque detecta est antiqui serpentis malitia. Est in Monasterio sancti Blasij apud Fabrianum (vt primo libro diximus) sancti Romualdi sepulchrum: quod duabus seris diuersarum clauium obseratur: quarum vna apud Abbatem, altera verò penès populi rectores custoditur. Illuc Cardinalis quidam magnæ auctoritatis venit, desiderans sibi aliquam sacratissimi corporis reliquiam habere. Reseratis itaque vtrisque seris, multisq; secum fortissimis viris innitentibus, lapidem monumento superpositum (qui valdè magnus, grauissimusque existit) nunquàm leuare potuit. Qua de re obstupefactus, & intimo Cardinalis timore percussus, re infecta recessit. Ad idem sepulchrum accessit Paulus noster, qui vna tantùm ex seris duabus reserata (nã ad hoc populares consentientes non erant) vnico Monacho adiutus, eòusq;
mau-

mauſeoli grauiſſimum opertorium eleuauit, vt facilè immiſſa manu, dexterum brachium ſacri cadaueris inde extraheret: quod ſecum decenter in quadam theca Camaldulum (erat enim tũc ſacræ Eremi Maior) detulit. Qua pretioſa gemma Eremus ipſa ornata hodie coruſcat. Poſtremò, nonne myſterium ſapit illud ſupradicti perſecutoris eius, qui fracto fęmore ſine ſpe aliqua iam iã moriturus, ieiunio & oratione Pauli ſanatus eſt? At longum nimis eſſet, ſi ſingula, quæ mirabiliter geſſit, hìc exarare velimus. Satis, abundeq́ue ex prædictis conſtare debet beati Patris ſanctitas, & ſupranaturalis operatio eius: ipſe ſibi teſtis idoneus innocentiæ ſuæ: acclamantibus omnibus, qui nouerant ipſum. Vale ergo beatiſſime Paule; & quia cum eo, cuius nomen in terris adeptus es, bonum certamen certaſti, & curſum fœliciſſimè conſumaſti, fidemq́ue ſeruaſti: cum eodem corona iuſtitiæ fruere in cęlis; quæ tibi olim repoſita, hodie autem reddita à Domino iudice iuſtiſſimo.

QVAN-

QVANTAS PERTVRBATIOnes passa sit post mortem Pauli congregatio. Cap. XVIII.

SI QVANDO, quod sæpe vsu venire videmus, numerosæ familiæ patrem, qui suos benè alat, ritè, prudenterque gubernet: morte, vel casu è viuis emigrare contingat: turbatur vniuersa domus, in planctum prorumpit derelicta vxor, orbati liberi lugent, lachrymas effundunt ancillulæ, famuli tristantur: abijciuntur lętitiæ vestes, induuntur lugubres: domus ornatus tollitur: &, vt poeta canit, vbique luctus, vbiq; mœror, & plurima mortis imago. Porrò non aliter affecta est, tanto duce, tantoq; parente priuata, Eremitarũ noua congregatio: parente, inquam, pijssimo, atque omnibus benefico: duce vero, prouido, prudente, doctissimo, ducere ac docere perito. Ecce quasi temone amisso, fluctuatur nauicula ista, velutque inter tumentes vndas derelicta agitatur. Despondent animum pusillanimes, ac nullum sibi adiutorium ampliùs superesse

peresse credunt: desperant contristati, nec alium dari de cętero consolatorem sperant. Alij maiori anxietate præmuntur, existimantes in tanta paupertate, fame, laboribusque attritis fratribus non esse futurum æquè sollicitum altorem. Dubitabant multi de regiminis defectu, & instigante Satana, nō solùm de discessu cogitabant, sed etiã secum alios trahere nitebantur. Quid plura? incipiunt sine pastore aberrare oues: ac quasi veniente lupo terrentur agni, maleq́; irritatus grex abhorret ouile. Attamen seniores, & qui meliori vtebantur consilio, grauiori pede incedentes aliter agẽdum sentiebant: remq́; maturiùs ponderantes, modum sedandi agitatos animos excogitant. Congregantur igitur seniores Patres in vnum, atq; hinc inde singulorum collatis votis, imminentibus malis mederi prudenter statuunt: pręcipuè tamen de confirmandis fratribus satagentes, quomodo id salubriùs fieri queat, sagaciter pertractant. Ad hoc non minus difficile, quàm vtile negotium, Venerabilem virum Danielem
Vene-

Venetum in locum demortui Pauli ſub-ſtituunt; omnẽ poteſtatẽ in eũ cõi voto cõferentes. Erat autem homo iſte naturali grauitate mirabilis, verbo potens, & apprimè doctus: atque, quod rarius eſt, in conſolandis afflictis ſpeciali gratia dotatus. Diſcurrit hic per Eremos ſingulas,& ad inſtar ſtrenui ducis,in perturbata acie, hos blandè monet, illos acriùs redarguit; indulget iſtis,illis verò reſiſtit: ſicq; mirabili modo cunctos in diſciplina retinebat. Venerantur omnes Venetum, quaſi in eo reſuſcitatum Paulum intuentes, cuius monitis confortati,omnem timorẽ deponentes, in propoſito prorſus ſtabiliti ſunt. Dum hæc itaque modo prędicto peraguntur,adeſt legitima Capituli celebrandi dies, in quo (præter multa ad bonum Religionis ſtatum à Patribus inſtituta) Auguſtinus de Baſſano, qui primus omniũ ex Eremo Camaldulenſi ad Criptas Maſſacij, Beato Paulo perpetuò adhæſurus venit; Maior totius cõgregationis creatus fuit. Daniel verò in Apuliam miſſus eſt, vt ſicut in Piceno, & Tuſcia fecerat,

illic

illic quoque confracta fame, & penuria, Eremitarum loca, dissipatosque fratres consolidaret. Veruntamen cùm cognouisset posteà Augustinus non esse opus vnius, neq; in solis verbis consistere illius prouinciæ malum: & ipse quoq; illuc pergere decreuit. Eodem tempore quo Pater in Apulia agebat, epidemiæ morbus, qui biennio antè exortus erat, vniuersam Italiam inuasit: atq; in illis regionibus in tantùm desęuit, vt Augustinum cum Daniele, necnon maiorem Eremitarum partem crudeliter extingueret. Vnde iterum sine capite, sineq; pastore grex & ouile remansit. Quo nuncio allato, Patres qui in Piceno commorabantur, quiq; ab eadem peste grauiter vexati erant, valdè turbati sunt: & conuocato consilio, quid agẽdum foret, deliberant. Perpensis itaque causis, rationibusque multis in medium adductis, Eremitoria illa Apuliæ deserta relinquere; & paucos, qui superstites erant, Eremitas in Picenum reuocare statuũt. Ad hoc maximè seniorũ animos mouit gentis illius naturalis ferocitas, prædo-

num,

num, ſeu graſſatorum agmina, paſſim ſolitarios infeſtantia; atque cōmunis charitatis defectus. Accedebat inſuper, quòd paulò antè Zacharias Siculus venerandus Pater, cum Ioāne Maria ſocio capti à Turcharum piratis, captiui ducti ſunt: necnon pijſſimus Pater Romualdus Fabrianenſis, ſicut dictum eſt, cū ſuo comite à prædonibus in itinere deprehenſus, & ad arborem alligatus grauiſſimè cęſus extiterat. Derelicta ſunt etiā nonnulla Eremitoria per Italiam propter Fratrum imminutum numerum; inter quæ ſolennis illa Montis Soractis Eremus. In medio igitur tempeſtatum harum, in tantorum malorum procella, Magnus ille Iuſtinianus Bergomenſis (de cuius ingreſſu ſuperiori tractatu plenè diſſeruimus) Maior creatus eſt: vir ſanè qui & propter eximiā doctrinā, & propter vitæ integritatem, ſecūda poſt Beatum Paulum Religionis huius columna dici meritò poteſt. Qui quantum vtilitatis Religioni diligentia ſua attulerit, ſequenti libro patefiet.

FINIS TERTII LIBRI.

ROMVALDINÆ, SEV EREMITICAE *MONTIS CORONAE* CAMALDVLENSIS ORDINIS HISTORIÆ.

Liber Quartus.

SOCIETAS STABILITVR, ET Eremus Montis Coronæ fundatur. Cap. I.



Icvt in Euangelio sacro legimus Apoſtolorũ nauiculam, abſente Ieſu, fluctibus agitatam, tempeſtateq; magna iactatam; ſic quippè ſępe videmus Religiones ſanctas aduerſitatum ventis, malorumq; procellis grauiſſimè concuti, ac penè confringi. Necnon ſicut olim diſcipulos in remigando laborãtes præterire voluit Dominus: ita plerũque ſeruos ſuos in tribulationibus, afflictionibusq;

nibusq́; laborantes diſsimulare videtur. Quod & ĩ noſtra ſocietate defuncto Paulo contigiſſe perſpicuum eſt. Sed tandẽ in fluctuantem nauiculam ſuam venit, miſericordia motus, in quarta vigilia noctis, in fine, ſcilicet, laborum, quos patiebatur, quam per ſuam viſitationẽ aſcendens, imperauit ventis, & tumẽtes ęquoris vndas placauit. Et, quod optimũ fuit, eidem peritiſsimum dedit nauclerum, qui nauis clauum regere, ac ſocios in tẽpeſtate confortare ſciret: quod ſanè fideliter præſtitit ipſe, atq; in nouo exercitu ducendo extremũ ſe ducem ſemper geſsit nouus electus. Celeberrimus ergo vir Iuſtinianus cùm primùm Maior nouæ cõgregationis factus eſt; ſua magnanimitate animum ad Religionem hanc in perpetuum ſtabiliendam viriliter applicuit; friuola, temporaneaq́; remedia contemnens. Vnde eodem ſuadente, multa auſi ſunt Patres, à quibus iam dudum animum auerterant, quaſi impoſsibilia eadem exiſtimantes: quæ tamen poſteà tanto paſtore freti, facilia reputarunt. Ac primùm, ſequenti generali Capitulo,

actum

actum est, vt Eremus aliqua ad instar Camalduli erigeretur: quæ velut arx, caputq; totius cōgregationis foret. Quod præcipuè ad hoc decretū extitit, vt Eremus ista multos insimul haberet Eremicolas, in qua maiores, senioresq; Patres commodè, fixaq; sede commorarentur: apud quos cęteros omnes regendi maneret auctoritas. Volentes insuper cętera loca, seu Eremitoria inde tanquàm subiecta, inferioraq; membra; & consilium, & auxilium, necnon regiminis pręcepta suscipere. Hac denique determinatione facta, de idoneo loco aliqua insurgit difficultas, eò quòd ex Patribus quidam Eremo Criptarum, tanquàm antiquiori ad hoc iam olim deputatæ; honorem hunc, quasi defuncti Pauli voluntatem insequentes, deferendum censebant. Econtrà, erant qui non quid factum, sed quid cōuenientius, expediēsq; magis videretur: nec præsens modò tēpus, aut Religionis statum, sed futurum potiùs prospiciendum suadebant. Post multa tandem præualuit, quæ nunquàm confundi solet, iusta ratio: sicq; conclu-

ſum fuit Coronam Montem Criptis eſſe præponendum: non ſolùm loci aptitudine, temperieq; aeris conſideratis: verùm etiam ſoli illius amęnitate, atq; neceſſariarum rerum abundantia, commoditateq; recte ponderatis. Mouebat itē multùm propinquitas, ſeu opportunitas Abbatiæ ſancti Saluatoris (cuius plenā deſcriptionē ſuperiori libro dedimus) ex qua, videlicet, ad Montis radices poſita, cum facilitate quotidiana poſſent ad Eremitas in ſuperioribus cohabitantes alimenta tranſmitti. Attendebatur inſuper ibidem ſine Eremitarum perturbatione peregrinos aptiùs hoſpitari poſſe: necnon & infirmos commodiùs tractari, atq; ſenes impotentes, & debiliores, & quocunq; caſu inutiles effectos curari, foueri, & iuxtà cuiuſque qualitatem remedia adhiberi. Qua concluſione firmata, ad inchoandum opus ſine mora accincti ſunt viriliter omnes. At ne quid cognitu dignum intactum relinquamus, ſciendum eſt, Montem hūc habitare cepiſſe Patres eodem anno, quo Petrus de Fano, olim Galeatius, habitum Eremiticum

ticum ſumpſit: quanquàm non in eo loco, ſeu parte, in qua poſteà conſederunt, aut quam modò incolunt. Eſt ſiquidem in medio aſcenſu montis vetuſtiſſimum oratorium Beato Sauino martyri conſecratum, cuius ſitus, etſi breuis, iucundus ſatis, ac fonticuli ſalubri aqua dotatus. Hìc igitur primùm ex luto, ſaxisq; per eoſdem Eremitas vtcunque cellulis cõpactis, per quinque, aut ſex fortè annos detenti ſunt. Quod oratorium cum cellulis prædictis, & hodie cernere licet, nullo in eiſdem diruto, vel immutato: cuius loci aſpectus ſuaui delectatione non caret. Conſitus nimirum ab eiſdem olim Patribus, varijs ac fructiferis arboribus; addita vinea, tùm delectabilis viſu, tùm fruitione vtiliſſima. Sed quia minùs aptus, capaxq; ad deſtinatum finem cognoſcebatur; coacti ſunt in eodem monte commodiorem, ampliorem que locum, ſeu ſitum perquirere. Vnde diligenter perluſtrato monte, nullibi conuenientiùs Eremum deſideratam fundari poſſe ſano iudicio, vel certè diuinò ſpiritu dictante exiſtimatum eſt, quàm vbi

fundata nunc manet. Erecta est igitur Eremus ista in summitate montis eiusdem, cuius loci habitudo ab vtroque latere procliuis: sed quà ad meridiem respicit, procliuior multò. Verùm vtrinq; nemorum miræ densitatis amænitas, arduum collem, reddit iucundissimum: quin & assiduo, improbroq; Fratrum labore, quod natura deuexum dederat, planum, atque spatiosum magna ex parte effectum conspicitur. Propterea loci prospectus latior, aut delectabilior vix inueniri potest. Ad orientem namque Tyber famosissimus amnis, cum tota simul Spoletana valle, per triginta ferè miliaria, intuenti apertisimè patet. In eadē valle Foliuij, seu si mauis Foligni ciuitas, ac diui Francisci patria Asisium distinctè cernuntur: necnon Nursiæ prouinciæ Beati Patris nostri Benedicti alūnæ, excelsi montes latisimè apparent. Rursus ad meridiē Perusij inclitæ Tusciȩ vrbis, à qua ꝑ decē miliaria locus iste distat, ferè totū dominiū, siue ditionem cū suo famosissimo lacu intueri licet. Ad occidētē verò, & Septētrionē, Fractȩ Perusinæ

ſinæ peruetuſti oppidi iuxtà flumen Tyberis poſiti, pulcherrimũ territoriũ videbis. Itẽ Sinnæ tortuoſi fluuij gurgites, Appẽnini valles multas, fultosq; colles: necnon antiquã Eugubium, magni Vbaldi vetus domicilium, perſpicere datur. Erat collis, vt diximus, ſupra modum aſper, & ſolis feris peruius, nec humano veſtigio calcabilis: atqui induſtria, nimioq; Eremitarum ſudore in eam formam redactus eſt; vt, in quantùm Eremi tractus diſtenditur, equi cum curribus percurrere facilè poſſent. Quatuor enim præcipuæ viæ aperiuntur, quæ totam Eremum deambulanti patefaciunt: quarum duæ quaſi cingulum ab vtroque latere iuxtà foſſas (quibus Eremi ambitus de Eremitarum more clauditur) vniuerſam Eremum circumcingunt. Aliæ verò duæ recto tramite ab Eccleſia ad extrema vſq; clauſuræ, altera in ſummitate collis, altera inferiùs à latere, protendunt. Spacia quidem inter vias prædictas poſita, nemoribus fultis, arboribusq; fructiferis cum innumeris cupreſſis, ac nonnullis abietibus occupantur.

Ad extrema insuper vbi viæ ipsæ coniun guntur, affixę sunt ligneæ cruces, intuentes ad orandum inuitantes. Postremò sepe sentibus vepribusq; fulcita, atque mira arte contexta (cui fossa perpetua cohæret) tota clauditur Eremus: nec alicubi ad eam ingressus, prȩter vnicum, ac commune omnibus ostium datur. Est autem ostium istud venientibus ea parte, qua recta à prædicto monasterio sancti Saluatoris ascenditur. Etenim intrãtibus è vestigio, platea quadam mȩdiante, se offert templum, seu communis Ecclesia: opus & magnitudine, & arte commendabile; elaborato ad psallendum Choro, & alijs ornamentis decoratum. Quod sub inuocatione Saluatoris nostri anno MDLV. 14. Octobris consecratum fuit. Adhærent eidem orientem versus Capitulum, vt vocant, culparum, cum pulchro satis sacrario: supra quæ, duo ædificia, Definitorium, exedra scilicet, ad Generale Capitulum quotannis celebrandum: necnon bibliotheca multis atque optimis codicibus referta. Ad occidentem verò plateam habet, in

cuius

cuius medio effossa cisterna latitudine, ac profunditate mirabilis, aquarum incredibilem multitudinem continens. Iuxtà cisternam porticus est, cui iunguntur infirmorum cellulæ. Refectorium quoq; pulchrum, cui coquina adhæret: subter quibus, benè accommodatum (commune suis adaptatis vasibus) lauatorium cum sua cisterna aptè locatum iacet. Haud procul ab ostio principali peregrinorum hospicium est, iuxtà loci facultatem satis appositè constructum, Eremiticoq́, more benè ornatum. In inferiori verò parte, ab omni Eremitarũ commercio semota suis cellulis, ac rebus necessarijs instructa domus nouitiorum sedet: in qua ipsi cum suo Moderatore in perpetuo silentio segregati manent. Iam ad Montis cacumen reuertamur: secus vias, quas modò descripsimus, & quæcunque earum domunculæ, siue solitaria Eremitoria, ab inuicem triginta plus minus passibus distantia, conspiciuntur: quas inhabitant seniores Patres; & qui maiori quiete, solitudine vè delectantur. Interponuntur inter easdẽ

hortuli ſinguli ſingulis: in quibus ijdem habitatores excolendis proprijs manibus exercentur. Manent itaque hodie in Eremo iſta triginta ſex, vel plures Eremitæ ſatis commodè, in nullo ſe viciſſim impedientes.

QVANTA DIFFICVLTATE ædificata ſit Eremus iſta. Cap. II.

QVANQVAM nos plenam loci deſcriptionem dare conati ſimus: non tamen exiſtimari debet vno die tãtam, tamq; diuerſam machinam leuatã fuiſſe: quin potiùs ſciẽdum eſt, per quadraginta annos, aut eò ampliùs in ea elaboratum eſſe, nec dum vltimam operi manum extitiſſe impoſitam. Nam circa annum trigeſimum duo tuguria rem tentãtes erexere Patres: quibus oratoriolum ad ſacra peragenda addiderunt: tintinnabulum in magna quercu appendentes. Paulò poſt humilem admodum ſibi caſulã venerabilis Petrus Fanenſis conſtruxit: nempè

nempè ad inferiorem Eremi ſepem, vbi nunc ciſternula cum eiuſdem caſulę fundamentis apparet. Nitebantur profectò pauperrimi Dei ſerui, quod in ſe erat, viriliter præſtare. Veruntamen non habētes vnde fabricæ ſumptus ſuppeditarent (nā præfatæ Abbatiæ redditus nimis tenues tunc temporis erant) operi etiam nolentes ſuperſederunt. Obſtitit quoq; huic rei non parum mulier quædam Peruſina, quæ ius in ſolo illo, quo ædificabatur, licèt iniuſtè, prætendebat. Hæc in Montem veniens, oratorium dum alter ex Patribus celebraret, ingreſſa eſt: admonita blandè, vt inde (quia mulieribus noſtras non licet habitationes intrare) exiret: quaſi furia agitata pauperes homines mille iniurijs clamitans affecit, nec locum, nec præſens ſacrificium attēdens. Quos & craſtina die in ius vocare non erubuit: cui Patres ne litigijs, iurgijsq; intendere, & pacem cordis contra profeſſionem ſuam amittere cogerentur, pecuniolas, quas ad fabricandum ſumma cum difficultate præparauerant, dederunt. Quibus tempeſtas illa ſedata eſt.

eſt. Poſt hæc aliud maius diſpendiũ eſt ſubſecutũ, hoc eſt, quòd Clemens Septimus Pontifex Maximus memor ſui dilectiſſimi Pauli, ſciensq́; deſiderium, & indigentiam noſtrorum circa Eremi erectionem, quaſdam ad id ſufficientes pecuniæ quãtitates promiſerat: quas morte præoccupatus præſtare minimè potuit. Vnde Patres ſine alio adiutorio, quotidianis manuum exercitijs lapides effodientes, & arenam cumulantes, magnos materiæ acceruos ad opus præparauerunt, qua paulatim ſacellum, quod hodie Capituli exedra eſt, conſtruxere. Quo pro communi Eccleſia vſi ſunt, donec templum perficeretur. Veruntamen eodem tempore & omnis ædificatio, & omnis corporalis exercitatio diù ceſſaſſe noſcitur: eò quòd anno XL. die 20. Maij, facta ſit cum Camaldulenſibus vnio quædam (quæ ſecunda dicta eſt) hæc vtrinque per biennium obſeruata, magnas diſtractiones pepererat: noſtris nempè Camaldulum, & Camaldulenſibus ad nos frequenter conuolantibus. Quæ obſeruantiæ diſſolutio, & de-

uotionis

uotionis dissipatio in causa fuit, vt mutuò adhibito cōsensu, Patres ab vnione discederent, & quique eorum ad sua remearent. Et sic societas in suam naturam reuersa est; & ad pristinos ritus, seu mores non sine difficultate reducta. Reuersi igitur in vnum Patres, Templum paulò superiùs plenè descriptum, erigere instituunt: & quia illis non erat vnde sumptus tanti operis præstarent, habito Apostolicæ Sedis consensu, quædam ad hoc possessiunculæ distractæ fuere. Ab illa tandem die ad nostra vsq; tempora, ab opere manus vix sublata extitit: paulatim nunc hoc, nunc illud agendo. Si hìc sudores, atque algores per deuotos Eremitas in effodiendis saxis, ripis atq; deuexis explanandis, inque materia ad opus deportanda, cęteris deniq; exercitijs ad hoc necessariò faciendis, vel summatim percurrere velim: alium seorsum ac grandiorem possem libellum conficere. Attamen sufficere cuique debet, iuxtà breuitatem, qua vtimur, prædictarum rerum satis plenam cognitionem habere. Perspicuè etenim ob oculos cu-

iusque

iuſque poſuiſſe credimus, Eremum, qua deagitur: quæ etſi ſecundùm deſignationem ſui adhuc finita non ſit, in eam tamen formam (quam ſuprà oſtendimus) deueniſſe conſtat. Reſident autem in ea ſummi Patres totius Religionis rectores: nempè Maior, Viſitatores, & loci eiuſdem Prior, penès quos totius regiminis dignitas conſiſtit. Seniores itẽ, qui diuturnæ perſeuerantiæ experimento, alios & verbo & exemplo; necnon conſilio docere, inſtruere, ac in ſtrictiori vita retineri nouerint. Vnde fit, vt ex optimo, prudenti, expertoq; capite, cętera Religionis membra iuſtè, ſanctè, ac piè in rigida regulari Eremitica obſeruantia perſeuerent. Quod ſanè in cauſa eſt, vt in tanta quiete, inque tanta animorum vnitate, atque tranquillitate hodie in hac ſancta ſocietate commoretur: ſic Deo Optimo Maximo per ſuam miſericordiam annuente.

DE

DE MORTE PETRI FAnensis. Cap. III.

DIximvs suprà Clementē Pōtificem quandam non modicā pecuniarum summam in opus fabricæ Eremi Montis Coronæ erogare voluisse: quo nuncio accepto, Petrus Fanensis tremestri antè Maior societatis factus: de consilio Patrum Romam perrexit, à Pontifice idem subsidium recepturus. Et ecce vrbem ingresso, Clementem grauiter infirmari ei nunciatū est: cuius rei euentum ibidem expectare decreuit Pater. Feruebat equidem tunc temporis æstiuus calor: nimirum regnante Canicula. Intra paucos ergo dies dum Clementis salutem præstolatur, & ipse febricitare cepit: atque inualescente deinde morbo, in breui viam vniuersæ carnis ingressus est. Cùm autē piorum exempla frequenter nobis corā proposita in salutiferam doctrinam cedere soleant: opere precium erit tanti Patris fœlicem exitum paucis enarrare. Is cùm iam morti appropinquasset, vo-

ce omninò vi morbi priuatus, per biduũ obmutuit. Interim vrgentissimis animi passionibus, ac dæmonum tentationibus per immissas illusiones cruciatur: coactus passim gemitibus atque suspirijs do lores intrinsecos exteriùs manifestare. Interrogabant eum Cappucini Patres (apud quos ægrotare ei contigerat) quibus ne idoneis saltẽ signis respõdere valebat. Tandem cùm iam iam spiritum exalare vellet, ecce repẽtè os eius apertum est: & exclamans exultantis modo, ter hanc vocem repetitam emisit. Ego vici, ego vici, ego vici; Te Deum laudamus, te Dominum confitemur: tunc sequentem versum suscipientes Fratres, totum canticũ alternatim dicentes persoluerunt: quo finito, fœlix eius anima ad cœlos migrauit. Obijt verò in sancta Eugenia, vbi tunc Patres Cappucini habitabant: quiq; de tam beato defuncti fine plenum testimonium præbuerunt: qui etiam ibidem eius corpus honorificè sepelierunt, anno M D XXXIIII. mense Augusto, die sancti Augustini. Nec est, quod dubitemus preciosam fuisse in cõ-

spectu

ſpectu Dei mortẽ Sancti huius: qui verè non ſolùm præcepta, ſed & conſilia Euangelica adimpleuerat. Qui dum diues eſſet, vt pauper in plena iuuentute vixit: inter rixas, & controuerſias fratrum, conſanguineorumq́ue ſuorum, ab intima cordis pace non diſceſſit: iuuenis, & potens illecebris mundi nunquàm ſe miſcuit: tandem vt Chriſtum nudus perfectè ſequeretur, omnia quæ habebat, reliquit: & religioſus factus in ſtrictiſſima obſeruantia perfectiſſimè degens, exultando moriens, animam Dei laudibus inuolutam emittere meruit. Quæ nunc in cœlis, vt piè credendũ eſt, cum Chriſto manens, ſine fine regnat.

DE HIERONYMO SVESSANO, & Rhuæ fundatione. Cap. IIII.

EX GEMMIS, quæ noſtram Eremiticam religionem illuſtrarũt, duas pro ingenioli noſtri viribus, hactenus demonſtrauimus: nunc verò tertia nobis detegenda occurrit. Hieronymus, inquam, Sueſſanus præ foribus

ribus adeſt, qui merito ſuo, optimoq́ue iure intromittendus eſt in aulam iſtam: quò omnes inhabitantes in ea religioſi fratres, ipſum videant, ſciant, & reuelata facie contemplentur. Is de primis Pauli ſocijs extitiſſe, ex præmiſſis cognoſcitur: qui ſicut rigiditate vitæ, & regulari obſeruantia nemini coætaneorum ſuorum ſecundus haberi poteſt: ita veræ paupertatis virtute cęteris iure anteponi debet. Abhorruit namque non ſolùm rerum proprietatem, verùm etiã quamcunque rerum abundantiam: idq́; tàm ratione priuatæ ipſius commoditatis, quàm communis totius Religionis vtilitatis. Qua de re nunquàm aliter docuit, quàm ipſe ad vnguem obſeruauit: vnde factum eſt, vt in propria cella nullum vas ſuperfluum, aut quid aliud vel minimum ſpontè retineret. Apud eum nulla veſtimentorum duplicitas; & ea, quibus vtebatur, indumẽta vetula ſemper, ac ſæpe in dorſo eius contrita cernebantur: quin & ſub tali veſte aſperrimum latebat cilicium, ab humeris ad poplites vſque deſcendens. Necnon ple-

rumque

rumque lumbis admotam plumbi laminam detulisse, verissimo Patrum testimonio compertum habemus: &, quod maioris admirationis est, cum his omnibus à corporali, seu manuali opere statutis horis nunquàm abstinuit. De ieiuniorũ obseruantia superfluum est dicere, cùm tota eius vita perpetua abstinentia extiterit. Oratio illi perpetuus comes semper & vbique fuit: vtpotè qui nusquàm nõ mentem in Deum eleuatam gerebat. Sed inter omnes suas pias actiones, præcipua in Virginem matrem ignita deuotio. Quid moror? nullam Eremiticæ virtutis proprietatem scimus, quam in eo inuenire non posses: nil solitario viro competit, quod ipse non abundè possederit. Hoc insuper in homine admirandum venit; quòd quantò erga se austerior videbatur, tantò in alios ostendebatur benignior. His ergo moribus ornatus, cunctis (inuidis exceptis) magna erat admiratio, maximè consideran tibus eum in mollibus ab infantia fuisse educatum, atque in delicijs enutritum. Anno igitur MDXXXVII. cùm decre-

uiſſent Patres in Venetiarum partibus Eremum quandam erigere, ne ſui alumni Pauli Patria illa digna memoria careret; quæ pia pijs ſemper eſſe conſueuit: hunc præclarum virum ad tantum opus perficiendũ deſtinarunt. Qui Arſenio Conuerſo itineris comite aſſumpto, ſine mora ad iter accingitur: atq; diebus paucis Venetias, quò miſſus fuerat, peruenit. Vbi omni ſollicitudine, multisq; adiutoribus adhibitis, locum ad ſuam intentionem aptum inueſtigare nõ ceſſat. At per dies multos in ſimili inueſtigatione defatigatus, videns non prodeſſe laborem; dum nil reperiri ſibi vacuũ experitur; in Iſtriam, quaſi in deſertiorẽ regionem, nauigare ſtatuit. Sed ecce nauigantem eũ, ſubita tempeſtate immiſſa, illò ire prohibuit Deus, atq; in vrbẽ redire coegit. Tunc demum mutata ſententia, Hieronymus & Arſenius Bononiam ituri celeriter arripiunt iter. Qua de re certior factus Clariſſimus Franciſcus Iuſtinianus Beati Pauli ex fratre nepos, eos velociter inſequitur, atq; conſequitur: hortatur, & orat, per diem ſaltẽ

eos

eos in vrbe detineri, partim vt maturiùs rei deliberatio fieret, partim vt Generali Camaldulensi eosdē videre cupienti satisfaciant. Vt ergo tanto viro, tãq; impensè roganti complaceãt, Venetias reuertuntur. Erat tunc temporis Camaldulensis ordinis Generalis D. Mansuetus Bergomensis, vir non aspernandæ auctoritatis: qui cùm audisset aliquãdo hoc genus Eremitarum ordinis Camaldulensis sui gregis non esse, gestiebat eos tanquàm oues errantes, nouaq; monstra videre, non tamen quòd eis aliquid dare, aut beneficium conferre intenderet. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & sciētiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Tanto tempore anxius quęsierat Hieronymus optatum locum, nec inuenerat; & ecce discedenti, nec ampliùs quærenti, quod sitiebat, vltrò offertur. Generalis quid ageret, nesciebat: Dei seruus quid ageretur, ignorabat. Atqui benè nouerat Deus quid esset ipse facturus: nimirū antiquissimam in honorem excelsæ genitricis suæ olim dicatam do-

mum, præque vetustate ad fundamenta vsque dirutam, eoq; penitùs neglectam, in pristinum statum restituere, meliorem vè facere intendens. Ad quod præclarum opus, Hieronymum fidelissimũ eiusdem Deiparæ famulum ipse elegerat. Porrò in Patauino agro, interque Euganeos colles mons quidam præaltus insurgit, quem indigenæ olim Rhuam appellauerunt: cuius magnitudo nec minima est, nec situs iniucundus. Rhuæ autem significatio, apud Hebræos, vt Diuus Hieronymus, & Beda super Ioan. c. 1. testantur, Spiritũ sonat: vnde latinè Mons, seu locus spiritualis non incógruè dici potest. Cuius profectò nominis impositio, spiritualis vitæ in eo futuræ, quasi prognosticon fuit: de quo & poeta Altanus pulchram dedit cantilenam. Mons verò iste, etsi inferior ambitus eius arduus nimis, obruptusq; videatur: attamen quò magis extollitur, inuenitur amęnior: inq; summitate eius collis apertus, & vndiq; patens cernitur. Hinc etenim & Euganei colles omnes, quibus adhæret, & quicquid terrarũ est

vsq;

vſq; Venetias, ſinus quoque Adriaticus vſq; ad Iſtriæ oras, viſu valentibus perſpicua fiunt. Tum meridiem verſus Longobardiæ fertiliſſimi ſoli, quantum humani oculi acies extendi poteſt, tantùm planiſſimi agri proſpicienti aperitur. Vrbes item non paucas, inde cernere fas eſt: quarum præcipua Venetiarum totius Italiæ nobiliſſima, atq; populatiſſima ciuitas. Inſuper & literarum ſtudijs celeberrima, antiquiſſimaq́; Patauium, quam ceteris viciniorem habet. Videntur deinceps in planicie ipſa aquarum fluenta (Canales incolæ vocant) nauigabilia, nec paucę lacunę piſcibus abundantes. Tandem latior, delectabiliorq́; proſpectus difficilè dabitur. Iam vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Summitas Montis huius, vertex ſcilicet ipſe, ſaxoſus, Solisq́; ſentibus gignendis aptus, ad trium iugera terræ; de patrimonio Monaſterij Sancti Matthię de Murano erat; vnde tamen vllum aliquando ſenſerat emolumentum. Cùm igitur pauperes Eremitas vidiſſet Generalis, in colloquio Hieronymi ſpiritu calefa-

ctus, mente penitùs mutata, eosdem miro modo venerari cepit: & vltrò illis Rhuam (locus qui pro derelicto habebatur) pollicetur se daturum. Eunt denique, veniunt, & vident horribile monstrum; nullum ibi ędificium, nulla arbor, nullum viride arbustum, sola saxa, & cineres, nuperrime exusti à pastoribus loci, conspiciunt. Inhiabat ibidem sub terra os antiquę dissipatę cisternulę: apparebantq; adęquata solo parui sacelli fundamenta. In summa horrebant in simili spectaculo videntium membra. Hoc tantummodo solatij restabat miseris, quòd Montis habitudo solitarię vitę aptissima apparebat: ac prę se ferens quendam sanctitatis odorem: qui spiritus eorũ quadam dulcedine inflammabat. Quod quidem & Hieronymus propria scriptura testatur, & mihi sæpe narrauit Arsenius. In summa ad Generalẽ redeunt, & cum consensu Conuentus, medio publico instrumento, desertum agellum acceperunt. Et ecce sine mora idem Iustinianus & sufficientem illis supellectilem, & generositate quadam de

omnibus necessarijs prouidet: En Balthassar Morus & ipse patritius, qui & validus exhortator fuerat, scirpeas mattas, & alia ad Dei seruos in deserto loco fouendos desiderata, Rhuam mittere nō distulit. Iam dum noui cultores Rhuæ prima tentoria figunt, sibíque tuguriola ex storeis, seu virgultis astruunt: repertū est antiquissimum diploma Apostolicū, in quo Benedictus Papa Duodecimus quasdam concedit indulgentias Fratribus Ioanni Veronensi, & Antonio Albignascio Eremitis Sanctę Mariæ in Rhua ordinis Camaldulensis. Ex quibus loci proprietas sine dubio ad Monasterium Sancti Matthiæ præfatum peruenit: nā & illic Eremitæ Camaldulenses tunc tēporis habitabāt: vt ex alio instrumento Patauij acto anno MCCCXXX. (quod ipsis oculis vidimus) pleniùs cōstat. Vides nè quemadmodū Deus quod hactenus occultè gesserat, manifestè aperire voluit: & oblitam penitùs Virginis matris deuotionem in eodē loco, per eiusdem conuersationis homines, hoc est, Eremitas Camaldulenses instaurarit?

Vnde factum eſt, vt prædictus Balthaſſar Morus ligneum oratorium, cum deuotiſſima ſacratiſſimæ Virginis imagine, præter alias largitiones, illuc mandaret. quæ imago vſque in hodiernum diem manet, in qua pij Dei homines cœli Reginam, tùm viſitationibus crebris & orationibus deuotis, tùm donis & muneribus venerantur. Per quam & Deus omnipotens non pauca miracula operatus eſt, quòd & tabellæ inſcriptæ, circumq; altare, de more, appenſæ teſtantur. Cùm itaque ſic ſub ſtoreis, & tugurijs ex virgultis contextis manerent; magna ſe offerebat difficultas in his, quæ mittebantur, ad tantam montis ardui altitudinem conuehendis. Sed ille, qui omnia poteſt, cuius etiam opus agebatur, tanto deuotionis ardore vicinos Toriliæ, & Garcignani populos, qui ad montis radices iacent, inflammauit; vt inter ſe pugnare viderentur, quis eorum erga nouos Rhuenſes officioſior oſtenderetur; nec ſolùm iumentis, ſed etiam proprijs humeris onera imponentes. Adeò vt quidam Iacobus Pragaſſus, noua via in inuio facta,
boues

boues cum curribus onuſtis (mirabile opus) Rhuam primus aſcendere faceret, oratorium præfatum cum imagine Virginis portantes. Poſt hæc inſurgit nobilis vir Galeatius Bigolinus Patauij ciuis, qui ad finem vſq; proprijs pecunijs, & aliunde collectis, multisq; laboribus, ac proprio ſudore in tantùm nouæ Eremi erectioné iuuit: vt ſæpe diceret Sueſſanus, Bigolini ope Rhuam fuiſſe erectã. Qui pijſſimus vir finito tẽplo, cuius ſtructuræ ipſe præcipuè intendebat, ſtatim obijt. Fœlix profectò homo, qui breui tempore longioris vitæ delicta, tàm ſcitè redimere nouit. Habuit equidẽ Sueſſanus & alios complures feruentiſſimos, magnanimosque fautores: ac præcipuè Venetijs Cornarum domus ſemper fautrix fuit, neq; hodie ceſſat huic ſacrę domui impensè fauere. Item Contarenorum, & de Priolis. Patauij verò etſi plures extitere benefactores, quos longum eſſet recenſere: nemo tamen nobiliſſimos Hieronymum, & Albertũ Candios ſuperauit: quos & hodie eiuſdem domus ſucceſſores ſumma cum charitate imitantur.

tantur. Tandem in præsentiarũ Eremus ista multis, ac magnificis ædificijs nobilitata est: nam præter magnum, ac pulcherrimum delubrũ Beatæ Virgini cõsecratum, artificiosè elaborato oratorio, sacrario, ac decenti exedra, ac capitulum celebrandum ornatum: diuersæ sunt etiam domunculæ seorsum singulæ more Eremitarum separatæ: & vnicuiq; earũ suus hortulus adaptatus. His omnibus additæ fuere officinæ necessariæ, atque opportunæ: necnon cisternæ duæ multarum aquarũ capacissimæ. Primus quidem, qui proprijs sumptibus ibi ædificare cepit Venerabilis Aurelius Scapinus, qui iam olim sacristis honestam cameram Ecclesiæ adiunxit. Nuper verò admodum Reuerẽdus D. Ludouicus Zabarella Ecclesiæ Paduanæ dignissimus Archipresbyter magnificam solitariam cellam cũ suo deuoto oratorio constructam dedit. Nouissimè autem D. Federicus Cornarus Cardinalis amplissimus, atq; Pataui Episcopus, non ignobilem domunculam, cum suo sacello, alijsque mansiunculis, & amœno hortulo prædi-

ctis

ctis addere dignatus est. Quibus ædificijs mirè Eremus ipsa illustrata redditur: qui etiam magnanimi viri, pręter hęc, magnis ac crebris eleemosynis, atq; continuis fauoribus Eremitas adiuuare non desistunt. Ornatur insuper mirum in modum Eremus ista latis, & planis semitis, vijsq́; circumcincta: & à meridie innumeris cupressis, castaneis, vitibus, fructiferisq́; arboribus vbertim ab ipsis Eremitis consita: & proprijs eorũ manibus vndiq; diligenter exculta. Sic ergo locus olim spinis, sentibusq́; opplectus, amœnus ac fertilis factus est, & omnibus videntibus non mediocri admiratione iucundus. Veruntamen hęc pauperrima domus nunquã agros, aut possessiones habuit, nec illi aliqui redditus aliquando fuere: vnde eius pia familia semper ex largitionibus fidelium vixit. Pane, qualis à deuotis largitur, siue recens, siue siccus, triticeus, vel furfureus, cum iucunditate vescens: quod & de vino quoque, alijsque quibuscunque alimentis censendum est. Non est hìc silentio prętereũda magna charitas, simulq́; libe-

liberalitas excelſi Venetorum dominij, cuius inclytus Senatus quotannis largas pecuniarũ quantitates Eremicolis mittere non deſiſtit. Tanta ſiquidem Clariſſimis illis cura eſt, quid pauperes Rhuenſes manducent, ſeu induantur. Nec aliter certe facit nobiliſſima Patauina cõmunitas, quę indies magis ac magis in eleemoſynis Rhuę mittendis abundat. Accedit ad hęc quorundam Monaſteriorum pietas; quale eſt ſanctę Iuſtinę Paduę, Praięque veneranda cœnobia, quibus non minor cura eſt circa noſtros in ſanitate alendos, quàm infirmos curandos: alimenta, ſcilicet, valentibus; medicum, & medicinas ægrotis benignè ac gratis largiendo. Venda quoque, quę ſacra domus propinquior Ruhę exiſtit, largitatem ſuam noſtris quotidie oſtendere non dedignatur. Particulares, ſeu ſingulos tàm nobiles, quàm populares benefactores deſcribere ſpeciatim, opus eſſet infinitum. Sciendum tamen eſt, nunquàm illis defuiſſe alimenta: ſed ſemper Dei beneficio, & pia benefactorum largitate, neceſſaria victus ſufficienter

ter ſuppeditata ſunt. Quod profectò admirans, magis admirari non ceſſo: tàm magnificum templum, tot pulchra ędificia, ſolis eleemoſynis tāta celeritate eſſe confecta: necnon huius Eremi cultores ab initio vſque in hodiernum diem ſufficienter ex eiſdē vixiſſe: benefactores benefactoribus in dies magis, Deo Optimo Maximo inſpirante, ſuccedētes. Quę res me perſuaſum facit, Rhuę paupertatem Deo gratiſſimam eſſe: quam ipſe ſic ſemper conſeruare dignetur. Hęc de Rhua, dùm Rhuę eſſemus, breuiter exarauimus.

HIERONYMI SVESSANI virtutes, ac ſanctitatis ſigna. Cap. V.

NVnc autem tempus eſt, vt ad ineffabiles virtutes, finemq́ue glorioſum Sueſſani ſanctiſſimi demonſtrandum, totis viribus accingamur. Principio vir iſte verè Apoſtolicus prędicandus venit: qui relicta Regia aula, hoc eſt, Pontificis palatio: vbi protomedicus

medicus erat: & insuper patrimonialibus renunciatis totum se paupertati sine fictione tradidit. Vnde non paucas nimis copiosas eleemosynas viriliter refutando: pauperibus, qui se magis indigebāt, dandas suadebat. Rursus cuiusdam Patauini Antonij Musati nomine, possessionē oblatam ad radices montis positam acceptare noluit. Sed quid ego minutula quæro? Paulus Papa Quartus (dictus Carrafa) Neapolitanus, ideoq; eius cōterraneus, & à pueritia amicissimus, anno primo promotionis suæ Hieronymū ad se accersiri iussit. Venit Romam vir obedientissimus, ac læto vultu à Pontifice suscipitur, eumq; osculo pedum præmisso, sic alloquitur Papa: Quale tegumentum istud Hieronyme (erat enim vilissimis & asperis tunica & pallio indutus) seu quæ austeritas ista? Nimis durè tecum agis: dimittas ea oportet. Cui senex: His indutus sanctissime Pater, expeditiùs inter quercus & arbusta incedo: nec alius, ni fallor, habitus pœnitentem decet. Nam qui mollibus vestiuntur, nō in deserto, sed in domibus Regum sunt.

Nec

Nec tu (inquit Pontifex) ampliùs in deſerto eris, ſed manebis hìc nobiſcum: nec de cętero Eremitam te, ſed Cardinalem volumus. Quo audito, ſtatim cecidit pronus in terram ſenex: multis etiam lachrymis profuſus, cùm diu in refutando dignitatem oblatam perſiſteret, vix tandem breue tempus ad deliberandũ obtinuit. Quo finito, ad Pontificis pedes reuolutus, humiliter petijt ad ſuum Eremitorium remitti, affirmans nullam dignitatẽ ſibi chariorẽ eſſe, quàm verę pęnitentiæ ſanctiſſimum ſtatum: neq; alicubi delitias ſibi futuras extra ſolitudinem. Ex his cùm intellexiſſet Pontifex piam ac ſinceram viri Dei voluntatem, noluit eum cogendo contriſtare: ſed totam rem in ipſius arbitriũ contulit. Quã deſideratam optionem adeptus Hieronymus, elegit abiectus eſſe in domo Dei ſui. Sic tandem recuſata, immò liberè ſpreta dignitate, ad ſuum deſideratum reuerſus eſt Eremitorium. O miſerrime Munde, heu quàm paucos poſſeſſores habes, qui ſic cõcupiſcentiæ, ambitionisvè laqueos effringere norint. Omnes etenim

nim pòst aurum, postq; diuitias abierũt. At tantæ virtutis, tantique meriti longè non distulit Deus promissum præmium. Nam confestim exeunti à pugna dedit triumphum; redeuntem à victoria coronauit gloria. Si quidem in Eremũ Montis Coronæ cùm peruenisset, intra dies paucos febricitare cepit: crescenteque in dies morbo, fœliciter tempore breui migrauit ad Dominum. Nec certè misterio vacat, quòd nõ in Eremo ipsa, sed in tuguriolo sancti Sauini (quod vt diximus, in medio Montis ascensu est) mori voluit vir per omnia pius; vt, scilicet, qui verè pauper fuit, de pauperrimo loco ad ampla cœli palatia trãsiret. Obijt autem anno MDLVI. mense Martij, feria quarta cinerum, vt verè pœnitens in maximo pœnitentiæ die suam finiret pœnitentiam. Sepultum verò in Capitulo Montis Coronæ corpus eius requiescit. Cuius quidem vita non sine sanctitatis expressis signis, nec sine diuinæ virtutis demonstratione præterijt. Contigit etenim cùm aliquando in Criptis Almasaccij Prior esset, vt de mense Ianuarij

nuarij niuium abundantia obrueretur vallis illa, ita vt per dies quindecim illinc quis exire, aut aliunde illuc ingredi prorſus prohiberetur. Vnde factum eſt, vt fratribus victui neceſſaria in totũ deficerent (fidelium enim largitionibus viuebatur) eoque cellerarius Conſtantius nomine apud eundem quæreretur: quaſi fame atque inedia Fratres perituros timens. Cui fidelis Pater: O Conſtanti, inquit, fili tu fidẽ non habes: putas quia deſeret Deus ſeruos ſuos? Ipſe dixit, & non mentietur: Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis: qui paſcit coruos, non dabit eſcas famulis ſuis? cõfide, & ora, & non deerit tibi, nec Fratribus in craſtinum opportunus cibus. His, & alijs multis hominem conſolatus, Eccleſiam ingrediens ante altare proſtratus humi (qui mos illi frequens erat) in multam noctem orationem traxit. Ceperat eadem ferè hora tenuis, pauliſper mitigato aere, imber defluere; qui paulatim in abundantem pluuiam creuit. Ecce manè facto, dum Prima in Choro de more diceretur, oſtij tintinnabulum

pulſatur: illuc properè currit Conſtantius, oſtiario non expectato, ac foribus patefactis, hominem & iumentum pane & alijs alimentis onuſtum coram ſe ſtare videt. Nihil tanto gaudio plenus interrogat, ſed veloci curſu ad Eccleſiam redit; & quaſi diuino ſtupore attonitus, Agite clamat Patres, agite gratias, mandauit Deus cibaria nobis: quod per Patres actum eſt. Erat autem homo ille ex domo ſanctæ Luciæ de Ficano: qui cùm durante pluuia magna veniſſet (mirabile dictu) pluuiam non ſenſiſſe aſſeruit; nec eius palliũ, aut etiam ſarcina in aliquo madefacta fuere reperta. Hęc referente eodem Conſtantio fideliſſimo Dei ſeruo, exarauimus. Quod quidem miraculoſum factum noſtri Hieronymi orationibus non immeritò attribuitur. Eſt Patauij nobiliſſima mulier atque honeſtiſſima quondam Galeatij Bigolini nurus, quæ per annos decẽ, aut eò ampliùs in matrimonio ſuo ſterilis proceſſerat. Hæc cùm aliquando obuiam habuiſſet Hieronymum; O Pater, ait, Pete à Domino pro me filium, ne ſine ſobole mo-

riar.

riar. Cui annuit Pater se facturum: nec à die illa promissum præstare, hoc est, summo cum feruore pro re petita orare cessauit. Concepit mulier intra menses paucos, nec vnicum partum tantùm enixa est; sed annuatim parere assueuit. Iam tandem plures dilecto marito genuerat liberos: cùm casu contigit Dei seruum in eius domum venire: in cuius conspectu omnibus (quos pepererat) infantibus positis: Quid agis, inquit subridens mulier, ò Pater, guttam aquæ vt peteres rogaui; tu verò copiosam pluuiã impetrasti mihi? Desine iam pro fœcũditate mea orare ad Dominum: satis enim superq; sunt mihi hæredes. Porrò tanti beneficij immemor non extitit fœmina ista: neque filij eius idem beneficium recognoscentes; qui frequentes, largasq; quotidie ad nostros Eremitas solent eleemosynas mittere. Multis demũ exemplis, ac plurimorum testimonio huius sanctissimi viri perfectio comprobari facile esset, nisi superuacaneum videretur. Quam ob rem vnius magnæ auctoritatis viri assertione ad id præstandum

dumtaxàt vtar. Abbas quidam Oliuetanus conuersationis vitæq; honestæ, nomine Cornelius Vendæ præpositus, cùm in eius præsentia quidam prudētia, atq; longa experientia ornati viri, de corruptela, item virtute ætatis nostræ sapientissimè differerent; hanc protulit in medium sententiam. Et si modò ætas hæc nostra deprauata funditùs existat, vnum attamen perfectum virum hodie inueniri mihi persuasum habeo; Hieronymum, scilicet Suessanum Rhuæ fundatorem Eremitam Sancti Romualdi: de cuius integritate comperta mihi sunt nonnulla indicia adeò singularia, vt ausim sciens, prudensq; eundem inter Sanctos referre. Iam tandem, ne prorsus de eius scientia sileamus, studiorum labor in eo in vtroq; viuendi genere inanis nō fuit. Scripsit etenim, dum medicum ageret, latina lingua eiusdem facultatis volumen quoddam in quatuor libros distinctum: ex varijs Phisicorum auctoribus extractum. Item Eremita factus de statu religionis tractatulum vnū: cui Decora columba titulum inscripsit, liber sanè cùm

propter sermonis elegantiam, tùm materiæ dignitatem, minimè contemnendus: sed incuria nostrorum neglectus hactenus iacet. Ferunt & alia quædam medicinæ opera iuuenem cõscripsisse, quorum cognitio ad me non peruenit.

DE EREMO MONTIS ANconitani. Cap. VI.

OPPORTVNE nobis, vt gestorum narrationi debita quoque temporis adhibeatur obseruatio, Montis Anconitani acquisitio tractãda occurrit: quæ non modicum religioni augmentum allatura, euidentibus signis speratur. Principio igitur sciendum est, Eremitas de Gonzaga obtinuisse in prędicto monte monasteriũ quoddam diuo Petro consecratum. Actum est deinde, siue Dei iudicio, siue alio quocũq; casu, vt ijdẽ Gonzaguitæ penuria stipati, omniq; consilio destituti, deserto loco, fortuitò incendio combustam Ecclesiã ordinario restituerẽt. Anno igitur MDLXI. Vincentius Anconitanus Episcopus, in

cuius manibus Ecclesia renunciata extiterat, pia consideratione motus, idē monasterium nostris ad se vltrò vocatis, liberè (cum nouo renunciantium consensu) canonico institutionis atque concessionis titulo tradidit. Iusta deinde atque pacifica possessione adepta, Patres breuissimo tempore dirutum templū in pristinam formam, testudine facta, instaurarunt. In quo non minoris magnitudinis, quàm difficultatis opere, nimium argenti pondus consumptum fuit: & ideò religio magno ære alieno grauata. His itaque immoderatis sumptibus territi Patres, inopia cogēte per annos aliquot operi supersederunt. Verùm cursu temporis oneribus illis aliquatenus alleuiati, religionisq; conditione meliori facta, nouissimè fabricari ceptum est, & opus hodie omni diligentia prosequitur. Mons autem iste, de quo agitur, Anconitanus (ab inclita, scilicet, vrbe Ancona, eidem ad septem milliaria appositus) vulgò nuncupatur: nonnulli verò latini moderni scriptores, corrupto, ni fallor, vocabulo Conerum dixisse videntur. Pli

nio verò lib. 3. Cumerum promontoriũ est, apud antiquos vtiq; celeberrimum. Quod nomen ab arbuto, græca voce comaro, quæ arbor ibidem plurima gignitur, deductum crediderim. Est autem in ea Piceni parte, quæ ad Septentrionem expectat in ipsa Adriatici sinus ripa, intraq; fines ditionis, diœcesisvè Anconitanæ constitutum, ex aduerso Dalmatiæ litus habens. Radices verò ipsius latè distenduntur in circuitu: sed paulatim in altum erecti colles ad vnũ cacumen omnes contendunt: cuius summitas in planiciem quandam terminata ostenditur. Quæ quidem tùm frondosæ ilicum syluæ circumcincta corona, tùm prati non exigui viriditate ornata, mirã prę se fert expectantibus pulchritudinẽ. Hinc prospectus quoquò te vertas, in immensum protenditur. Septimo ab ipsa Eremo miliario, in amplissimo, ac florido Piceni campo, ter venerandum quasi ob oculos, mirabili instructura cõsurgit, ac micat Loreti templum. Nimirùm domus, in qua Gabriel Angelus ad Virginẽ missus est, in qua Verbum caro factum, in

qua denique noſtræ redemptionis opus ſumpſit exordium. Ab vtroque latere quantum humani oculi acies penetrare valet, tantùm maritimi litoris intuenti patet: quæ ora maritima viſu pulcherrima eſt, ac multarum vrbium frequentia decorata. Denique ad Aquilonem Adriaticum mare iacet, cuius vnda maximam promõtorij partem abluit. Nec rara eſt intuentibus delectabilis nauium triremiũq; hinc inde nauigatio. Introitus ipſius loci ſpacioſus valde, magnum oſtium, antè & pòſt ingreſſum latis plateis coniunctum, habens: hoſpicium itẽ peregrinorum, non contemnendæ ſtructuræ, ſtatim introeũtibus ſe offert. Pòſt quem opportunæ ipſius domus officinæ contiguæ ſequuntur, quibus in ſuperiori parte infirmorum cameræ additæ ſunt: vnde proſpectus mirabilis datur, & infirmis iucundiſſimus ſacræ Lauretanæ domus intuitum perſpicuum præſtans. Prætereà antiqua Eccleſia, quæ ibidem reperta fuit, tantæ artis in ſe oſtenſionẽ habet: vt prorſus priſcæ architecturæ nobis ſpecimen, atq; perfectionem demonſtret.

monſtret. Nam præter extremorum parietum, quadrato lapide inſtructorum perpolitam effigiem, ac ſolidam firmitatem: triplici teſtudine, altis, firmiſſimisq; rotundis columnis innixa, totum cooperitur ædificium: ijſdemq; columnis diſtinguentibus in tria deambulatoria, ſeu atria, diuiditur pauimentum. Chorus item, & maius altare ſuprà paululum eleuatam teſtudinem ſedent: ſub teſtudine verò deuotiſſimum ſacellum eſt, beatiſſimæ Virgini conſecratum. Manet iuxtà idem templum veteris clauſtri veſtigium, in medio cuius ciſterna eſt magnam aquæ quantitatem, eamque ſalubrem continens. Pòſt Eccleſiam, & clauſtrum oriētem verſus læta planicies datur, in qua ſolitariæ cellæ, nondum tamen ad iuſtum numerum deductæ, cum ſuis hortulis ſituatæ exiſtunt: ad cuius extremum ſacrum diuo Nicolao ſacellum, venuſtum opus, ſitum apparet. Inter hæc latæ ac longiſſimæ viæ, quę etiam in magnum nemus ambulantem introducunt, non ſine magno Eremi decore extenduntur.

DE VITA IVSTINIANI BERgomensis. Cap. VII.

POST acquisitionem Eremi præfatæ tertio, ni fallor, anno successit magni Iustiniani Bergomensis obdormitio: nostræ etiam religionis præclarissima gemma, atq; fulgidum ornamentum. De quo quanquam in præcedentibus, cùm de eius ingressu agebamus, quędã adnotasse recolimus: non tamen hoc loco vberiori vena innumeras ipsius virtutes, laudabilemq; vitę cursum tractare pigebit. Hic non ignobilis genere, nobilior tamẽ virtute fuit: ab infantia literarijs studijs totus innixus, breui tempore in philosophicis, ac theologicis literis euasit doctissimus: doctrina imbutus confestim se Deo dedit per religionis (quæ vera salutis via habetur) ingressum. Exercitatio literaria Patauij potissimùm fuit: vbi & primũ religionis habitũ Benedicti sanctissimi monasticum in Monasterio Sanctæ Iustinæ sumpsit. Vigesimosecundo ætatis anno, vt de virtute in virtutem ambulando,

subinde

ſubinde gradum quoque perfectionis altiorem aſcenderet, ex Monacho Eremita factus perhibetur: idq́; Camalduli, vbi per annos octo mirabiliter conuerſatus, cũctis ſuauiſſimus ſanctitatis odor extitiſſe, vel Delphino teſte, comprobatur. Aiebat namque ſenex ille, quibus de Iuſtiniano ſermonem facere contingebat: ſi perſeuerauerit, quis putas iunior iſte erit? tantæ profectò opinionis apud eundem Iuſtinianus fuit, vt nulla inueniatur ad eum data epiſtola (quarum multę libro xij. inſertæ leguntur) quę nõ ſummas eiuſdẽ laudes contineat. Erat huic cũ Paulo Iuſtiniano, dùm ambo Camalduli viuerent, ſumma, ſed in ſanctitate fundata familiaritas; eoq́; ſtatim vt nouam fundatam, ſtabilitamq́; nouit ſocietatem hanc, ipſum ſecutus eſt. In qua quidem congregatione, quaſi lucerna omnibus, qui in domo ſunt, ardens, mirabili quodã progreſſu per annos quadraginta vixit. Quid iſte in agris ampliandis, redditibusvè augendis operatus ſit, non inuenio: quantus è contrà in obſeruantia regulari Eremitica adimplenda,

plenda,atq; tuenda fuerit, crebra fratrũ cum gemitibus recordatio ſuperabundè teſtatur. Quò enim magis ſecularia negotia,ac forenſes ſtrepitus odio habuit; eò magis pietatis, ſanctimoniæq́; exercitiũ adamaſſe cognoſcitur. Simili modo perindè terrenas opes per totam vitam abhorruit, atque animi delitias dilexit: ſemper & vbique perfectionis iter mordicus, ſine intermiſſione, tenens. Adeò vt ſeptuagenarius factus, nihil de ſtricta ſui ordinis obſeruatione (quod ſæpe ſenioribus indulgeri aſſolet) remiſit. Quid quòd hoc ipſum facere aliquãdo à Patribus rogatus, eò quòd propter neceſſitatem eum longæuum optarent; hunc in modum reſpondiſſe fertur. Tãdiù, obſeruãdiſſimi Patres, me vobis vtilem futurum exiſtimate, quãdiù ſolitariæ, ſeu Eremiticæ vitę obſeruatorẽ habebitis. In multis inſignis fuit homo iſte, ſed in quatuor mirum in modum excelluit. Hoc eſt, in ſtudio literario priuato: in diuinorum officiorum deuotione: in ſolitarię quietis, ſilentijq́; mirabili obſeruatione: atque in ſecretę contemplationis

tionis indeficienti feruore. Quę vt debito ordine digesta dare valeamus: principio sciendum est, in religione ista nullum fuisse studiosiorem, seu scientiarum cupidiorem. Vtique nullo non tempore vitę suę sacris, pijsq; lectionibus summa cum diligentia,& affectione vacauit. Labores autem eius infructuosi neutiquàm extitere: etsi non omnes fructus illius radicis ad nos redire potuerunt; Deo eisdem nos vt indignos priuare volente. Scripsit itaque vir ille doctissimus opuscula multa, ex quibus pauca supersunt hodie: eò quòd paucissimis ante mortē annis propria cella (in qua cuncta eius scripta custodiebantur) fortuitò incendio, seu ab inuido quodam, noctis medio dum nocturnis vigilijs ipse assisteret in communi Ecclesia, combusta fuit. Sic, proh dolor, sudores, vigilię, & algores optimi Patris periere: & tanto temporis interuallo summo labore parata, paruo (vt ita dicam) momento consumpta sunt. Quam tanti thesauri iacturam, qui norint, sine lachrymis recordari, aut referre nequeunt; magnum, scilicet, lucubra-

brationes illas Ecclesię Dei lumen allaturas fuiſſe,& hæreſum modernarum tenebras detecturas affirmantes. Superſunt tamen de tàm multis tria, vel certè quatuor opuſcula arte & doctrina mirāda. Hoc eſt, liber vnus ſiue dialogus de vera, & falſa amicitia; & alter de huius ſeculi contemptu: vterque literis aureis adnotandus. Quos Patauij, dum Monachus Caſſinenſis eſſet, adhuc iuuenis cōſcripſit. Reperti ſunt inſuper tractatuli duo,alter de differentia peccatorum; & alter de ſcandalo:ambo profectò fideliū conſcientijs perutiles, ac valde neceſſarij. Alium præterea vidimus libellum De oratione pręnotatum: in quo orandi exercitium in artem quandam deducitur: per regulas procedendo. Veruntamen hucuſque nihil horum typis excuſſum vidi,ſed aliena manu notata legi: fide dignorum teſtimonio compertū habeo,inter combuſta opera fuiſſe quoddā opus, cui titulus erat: Difficiliū ſcripturæ ſacræ locorum elucidatio: in quo quicquid in auctore doctrinæ, ingenijq; fuerat, penitùs elucebat. Ita officiosè ſan-

ſanctorum Patrum vitas legebat, vt dicere conſueſſet : Vellem volumen hoc mecum vnà ſepeliri, vt etiam poſt mortem ſolatium ex eo haberem. Rurſus tãta ei ad opus Dei perſoluendum fuit animi affectio : vt dum in Eremo eſſet, nunquàm ſiue noctu, ſiue die, intermiſſionem Chori admiſerit. Vbi rectus complicatis manibus ſtans, plena voce, qua dotatus erat, tanto cum decore Deo laudes reddebat : vt aliquando (dum alium ad hoc ipſum inducebat) affirmaret : ſe ne verbum quidem, ne dum verſum per inaduertentiam amittere. Quoties Maior aut Prior eligebatur (quorum altero, licèt inuitus ferè nunquàm carebat) ſtrictè oſtiario præcipere ſolitus eſt, ne dum in Choro laudes Altiſſimo redderet, ſibi aliquid cuiuſuis momenti foret, nunciaret. Neque interuentu alicuius magnæ perſonæ, vt fieri ſolet, licèt Cardinalis exiſteret; ſe interpellare præſumeret. Solitarię quieti incredibile videtur, quã ardenter incumbebat : eò quòd pluries in priuata cella de more Eremitico incluſum manſiſſe, manifeſtum eſt : manſiſ-

ſetq́; in vitam libenter, niſi eum tanquã religioni vtilem, ac neceſſarium, prohibuiſſent Patres. Nec quicquã antiquius illi contingere poterat, quàm abſq; aliqua perturbatione liberè ad Deum mentem, animumq́; iugiter intendere. Quoties credas in diuinis meditationibus occupatum tranſiſſe ſine cibo diem? quoties ſine ſomno noctem? Iccircò ſæpe dicere ſolebat: cibi, ſomnivè memoriam, in mente benè in Deum eleuata, tardiùs occurrere. Porrò non in ſolo pane viuere hominem, experientia longa didicerat. Ante Matutini ſignum aſſurgens, diuinas laudes meditando expectabat. Tandem anno MDLXIII. cùm ipſe in prædicta recluſione maneret, Patribus Capitulum generale celebrãtibus viſum eſt ſummoperè religioni conducere, eũ in Maiorem eligere. Id cùm pręſenſiſſet timoratus Dei ſeruus, Epiſtolam, quam oculis noſtris vidimus, veluti vltimum vitę ſuę teſtamentum ad Patres Diffinitores ſcripſit. In ea cum omni humilitate eoſdem deprecatur, vt animi ſententiam mutare non dedignentur, vel quia

res

res ipsa iuxtà eorum vota successura nõ fuisset. Non equidem quia ipse obedientiam recusare, aut laborem fugere vellet: sed quia vltimus vitę suæ finis instaręt. Addens, ex tali electione euenire nõ posse, quàm studiorum suorum inutilem finem, ac Patrum desiderij acceleratam frustrationem. Quibus non assentiente Capitulo, è cella extractus, & Maior factus est. Tertio verò ab illa electione mense febri correptus lecto prosternitur: atque paulatim incrudescente morbo ad mortis articulum deducitur. Aderant frequenter capiti infirmi seniores nostri: quibus semel eundem bono animo mortem suscipiendam hortantibus, vt in similibus fieri assuetũ est: sic respondisse fertur. Ego Patres, licèt non meis meritis, fide non dubia, speq; firmissima, atque misericordia fretus Altissimi: mortem, quasi virgo sponsum, expecto. Quibus, & alijs verbis mirabiliter dictis, in pace quieuit, die sancti Laurẽtij, decima Augusti. O fœlix non iam Iustinianus, sed iustus Eremita, & Dei seruus; qui ab exiguo tugurio ad ampla Sanctorum pa-

latia trãſlatus es: ab ſtricta cellulæ clauſura ad latiſſimas cęlorũ plateas deambulandas perueniſti: qui tandem pro ieiunijs, ſilentio, & corporis maceratione immenſam Dei gloriam es aſſecutus. Quis enim dubitabit inter Dei electos regnare eum, qui in ſpiritu vitæ ſuæ finẽ adhuc viuens tam perſpicuè viderat? Summæ prætereà perfectionis eius multa poſſent verè afferri indicia, quorum præcipuum patientia: in qua temporibus ſuis ſimilem non habuit. Quod plenius oſtendit illud, quod furibundo incendio perempta dilectiſſima ſanctorũ librorum ſuppellectili, omnibus ab eo diuturno labore, compoſitis libris in cinerem conuerſis, vix mœſtitiæ ſignum expreſſit. Immò hoc ipſum ſuadentibus ei Patribus, voce affabili reſpondit: tàm infauſta laborum, tantiq; boni amiſſione inopinatè conſpecta affectam fuiſſe carnem, atq; crudeliſſimi incendij ardore paululum accenſam: ſed Dei beneficio ſpiritum ruina illa in nullo læſum exultare intus, atque gaudere. Intelligẽs nimirum, hanc carnalis deſiderij iacturam,

ram,

ram, ſibi in futuræ gloriæ acceſſurā augmentum. Vnde non immeritò quidam Cardinalis magna, ſcilicet, Eccleſię ſanctæ columna, cui notiſſimus erat, ſæpiſſimè etiam cum gemitu dicebat: O vtinā cum Eremita Bergomenſi animam hāc permutare poſſem.

IAM his paucis de tantis, ac tā multis Patris noſtri virtutibus breuiter exaratis: ad vos venerādi Patres, iure meo, nouiſſimum conuertam ſermonem, atq; libentiùs commonefaciam, ne vnquàm è memorijs veſtris decidant ponderanda illius verba, quibus vos crebrò hortari ad obſeruantiam ſolita anxietate ſolebat. Nolite inquiens, Patres mei, ac fratres, quod ſemel benè, piè, ac ſanctè inſtitutum eſt, deſtituere: nec maiorū veſtrorum ob veſtram parandam quietem intollerabiles labores deſpicere. Si augere ſanctæ congregationis noſtræ perfectionē vitæ non valetis: nolite, obſecro, diſſolutionis eſſe auctores. Et rurſus: Seruate, mordicusq; tenete primam ſeruorum Dei (qui vos præceſſerunt) iuſtiſſimam ſimul, ac diſcretā viuendi rationē:

nam secunda æquè bona, eadem amissa, non dabitur. Et iterum: Frequentiùs pugnemus pro Eremitica obseruantia, pro re augenda minimè satagamus. Porrò tantus viguit semper in homine Dei religiosæ pietatis zelus: qui nec aliter vixit, quàm docuit: nec monuit aliud, quàm quod ipse impleuit. Attendite ergo, per viscera Christi, pijssimi Patres: ne vobis viuentibus, regentibusvè, sanctissimi Romualdi pereat institutio: quin potiùs vigilate, ne in aliquo minuatur antiquissima sanctorum Patrum indefessa, iugisq; obseruatio: sed cum omni diligentia si quid inuenitis relaxatũ, restringite, dissolutum colligite, cõfractum summoperè consolidare studete. Vtique in tremẽdo iudicio, coram Iudice Magno (quem venturum fideliter cteditis, ac sancto timore expectatis) de locis multiplicatis, seu locupletatis; de bonis, siue redditibus adauctis, vel non adauctis, parua & fortassis nulla erit quæstio: at benè ècõtrà de votis emissis, deq; institutis Eremiticis; de moribus, & consuetudinibus sanctis, prætermissis, contemptis,

vel

vel derelictis, strictissima (mihi, immò Euangelio sacro credite) discussio fiet.

DE ACQVISITIONE EREMI Sanctæ Mariæ Coronatæ. Cap. VIII.

IAM DVDVM proposuerant Patres noua loca de cętero non acceptare, neque nouas Eremos denuò condere: eò quòd vitæ huius Eremiticæ austeritas, experientia docente, non facilè à multis etiam volentibus, capi possit. Idque maximè hac nostra ætate, in qua nil præter lautissimas epulas, delicatas vestes, ac perniciosas delicias hominibus placent. Veruntamen Dei voluntas, ac pia fidelium charitas fecit: vt illa patrum æqua, ac diffidentiæ plena Patrum determinatio, his propè lapsis diebus, infringeretur, sicut sequenti narratione docebimus. In ea itaq; parte regni Neapolitani, quæ principatus citrà dicitur (bellicosis olim Samnitibus patria) inq; dioecesi Beneuentana, mons celeberrimus est, quem indigenę Virgineũ, Latini

verò Virgilianum appellant. Mons, inquã, ob sui magnitudinẽ incircũscriptæ molis, & propter Deiparæ nobile sacellũ, ab vniuersis regnicolis mirũ in modũ frequentatus. Montis autẽ huius quædã prẹcipua pars, sibi seorsùm constans, Chiaia vulgò nuncupatur: quẹ intra fines Baroniẹ Sancti Angeli de Scala (inclytẹ Carrafeẹ domus antiquissimũ patrimoniũ) ac sub eius iurisdictione, & dominio continetur. In eodẽ quippè loco viri duo religiosi in summa vitẹ austeritate, ac laudabili perseuerantia, per annos viginti duos solitarij vixerunt: quorũ alter Iulius origine Nardonensis, alter verò Hispanus Ioãnes nomine. Quos etsi ortus extraneos inuicẽ dederat, Dei nihilominus sincerus amor, perfectáque charitas fecerat esse germanos: quorum salutiferum sanctitatis exemplum multos ad inculti loci deuotionem, atq; frequentationem induxerat. Inter quos prẹcipuè extitere Illustrissimi viri D. Antonius Carrafa Marchio Montis belli, & D. Alfonsus Carrafa Montorij Comes, eiusdem ex fratre pronepos (qui nuper

casu è viuis sublatus est) quorũ primus veneranda senectute plenus totius Carrafeorum familiæ (quæ latissimè patet) vnicum decus. Alter verò licèt impubes adhuc, ob generosæ tamen indolis specimen, quod ostendere ceperat, vniuersę nobilitatis, atque virtutis merito, reputabatur exemplar. Attamen nemo erga locum sanctum, piosq; Dei seruos maior deuotione fuit Illustrissima Dña Laura Brancaccia prȩfati Marchionis dilectissima coniux. Hæc namque requiem animæ suæ non dedit, donec ibidem templũ non ignobile, & commoda habitantibus mansio conderetur: fabricæ de proprio maxima ex parte sumptus ministrando; nec vsquam proprijs manuum etiã suarũ laboribus parcendo. Non est equidem Illustrissima Dña Cornelia Carrafa prȩdicti Comitis mater sua laude fraudanda: quæ, vt fertur, huic tantæ rei initium dedit: licèt posteà viro defuncto, aliò migrans, ab opere cepto manum abstraxerit. Templum autẽ illud sacratissimæ Virgini Mariæ Coronatæ dicatum fuit: eò quòd Virginis simulachrum perpul-

chrum, Regiaq; corona ornatum, à Nolanis ciuibus diuinitus inſpiratis (quæ vrbs viginti miliaribus ab ipſo loco diſtat) illuc cum magna deuotione, atque ſolenni proceſſione quondam deductũ, & in ſacello illo in perpetuum locatũ extiterit. In hanc tandem ampliorem (quã prædiximus) formam, redactum locum cùm vidiſſent Ioannes, & Iulius; plenioré quoque ibidem Deo Optimo Maximo ſeruitutem atque honorem reddi oportere, piè conſiderantes: Eccleſiam ipſam alicui probatæ Religioni ſubdi, & ſe ſub regulari obſeruãtia in poſterum viuere, toto corde anhelabant: quod Ioannes opere adimpleuit; Iulius verò inde recedere maluit. Modum autem, quo id rectè fieri poſſit, aut cui potiùs congregationi ſubijci debuiſſet, penitùs ignorantes. Veruntamen Deus, à quo negotium iſtud emanaſſe certum eſt, & modũ agendi, & religionem ſibi placitã, & quicquid opus erat, dedit. Accidit nimirùm, vt occaſione nacta ijdem Ioannes, & Iulius Illuſtriſſimo D. Antonio Carrafa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ampliſſimo

mo animum suum manifestarent: quod quidem pijssimo viro summoperè placuit, & sanctum eorũ propositum collaudans, vtque citiùs proficisceretur sedulã se operam daturum, eisdem recepit. Cũ deniq; Cardinalis sancto zelo accensus summum Põtificem Gregorium XIII. de congregatione Cassinensi consuleret: Non Cassinenses, Pontifex ait, sed Coronenses, hoc est, Eremitę Montis Coronę vocandi sunt: eò quòd & ipsi deserta inhabitent, & solitariam vitã sub obedientia ducant. Hoc verò responsum, quasi diuinum oraculum ab ore Dei prolatum fidelissimus Cardinalis suscepit, neq; vlteriùs de alia religione quærenda cogitare voluit. Sed statim, nuncio misso, Patribus nostris notum facere curauit: qui intelligens rem ipsam circa acceptationem aliquam difficultatem pati, ad Montem Coronam, nulla proprij laboris ratione habita, vir tantus, quo Dei negotium perficeretur, personaliter accedere non recusauit. Cuius sanè præsentia meritò potuit, omni difficultate reiecta, renuentes Patres ad acceptãdum flectere,

re,

re, necnon ad eius ſanctiſſimum deſiderium amplectendum prorſus inclinare. Fuit ergo acceptata Eremus illa 22. Septembris, MDLXXVII. ad quam ſtatim miſſi ſunt Fratres numero quinque, qui & futuræ fabricæ debitum ordinem, & loci obſeruantiæ optimum initiũ darent. Cuius Eccleſiæ licèt ab initio dos tenuis extiterit, attamen poſteà paulatim largitate dictorum Illuſtriſſimorum Dñorũ honeſtè adaucta videtur: ac præcipuè beneficio Illuſtriſſimi Cardinalis, qui vltra centum tumulos frumenti annuos, ſacerdotium non minimi valoris cũ vnione perpetua adiunxit. Quæ quidem licet magna exiſtant, maiora tamen multò in poſterum à tàm præclaris viris, tãq; Magnanima Dña Laura, ſecundùm eorum in religionem deuotum ac feruentem animum, ſperantur. Nunc tãdem pauca de ſitu ipſius Montis, ac loci adnotare oportet. Eſt itaque Mons iſte latiſſimus, cuius circuitus ad decem millia paſſuum ſe extendit: varijs collibus, valliculisq; multis conſtans. Celſitudo eius immenſa, cuius cacumen ad duo mil

liaria

liaria, aut eò ampliùs ad Occidentem, & Septentrionem se extollit: Orientē autem & meridiē versus suauiter declinās. Vnde fit, vt ascensus ipse non grauis, aut nimis arduus ascendentibus sé offerat: sed facilis, atque amœnus vbiq; reddatur: vtpote viridi sylua, varijsq́; virgultis ascensionis viam vtrinque exornatā habens. Prætereà Mons ipse quātus quātus est, densissimis fagineis nemoribus, alijsq́; diuersi generis arboribus cōsitus vbique locorum vernans apparet. Valles verò quasdā ad Montis radices sitas castaneta fructifera occupant. Sciendū vtique est, Eremum, qua de agitur, nō inter altiora montis iuga sitam esse: vbi niuium rigiditas, vel aeris intemperies humanam conuersationem non admittunt: sed ascensionis medio condita est, vbi vallicula quædam Paradiso similis inuenitur: vernantibus fagis, alijsq́; arboribus oppleta. Cum igitur ad summitatem ipsius ascensus ventū est, via quædam lata, & amœna recta te ad ostiū Eremi ducit: intus autem ingressus mediāte platea quadam, quæ ad dexterā abscissa

rupe,

rupe, ad ſiniſtrã valido muro cincta eſt, magnificum Sanctę Mariæ delubrũ ante oculos habes: quod ſanè non ſumptuoſa, ſed vtili ſtructura fabricatum extat, ea magnitudine, qua maior in illa ſolitudine deſiderari non debeat. Cui etiam adherentia ædificia decentis ſacrarij, capituli, atque elaborati oratorij magnũ decorem præbent: ſed ſuper omnia venerandum ſimulachrum Deiparæ deuotionis plenum, ac multis miraculis inſigne, ipſum & ornatum & deuotiſſimum reddũt. Contigua inſuper Eccleſiæ, media parua plateola, domus nõ paruæ magnitudinis eleuatur, in qua omnes officinæ, puta çella vinaria, lignile, lauatoriũ, penus, culina, refectorium, & aliæ opportunæ cum duobus puteis aquarum multarum, continentur. Poſt hæc ad occidẽtem ſpacioſus campus extẽditur, in quo domunculæ ſolitariæ ſeorſum ſingulę ſeparatæ, de more Eremitarum ſedẽt: quę ibi pulchriores, cõmodioresq; quàm in alia quauis Eremo noſtra habẽtur. Sunt & quædam viæ inter denſiſſimas ſyluas ad recreationem Eremitis præparatæ,

quæ

quæ non minimam deambulantibus per eas iucunditatem præbent. Postremò licèt locus iste ab initio asper, & incultus nimis fuisse dignoscatur, ac futuræ machinę incapax à multis iudicatus: attamen breui tempore, liberalitate Dominorum, diligentia Eremitarum, atque abundantia rerum, adeò planus, & amęnus, necnon perinde dilatatus est, vt nũc aptior, capaciorq́; nequaquàm desideretur: factus quoque supellectili diues, & Ecclesiasticis ornamentis, sacrisq́; argẽteis vasculis locuplex, atque prępclarus. Opere pretium est scire vltra hęc, quę modò exarauimus, quoddam esse extra Eremum ad anteriorem partem ad ortum Solis promontoriolum (quod incolę propter similitudinem castellulum vocitant) specula nempè eminentissima, vnde in Apuliam vsque totum oculis intuentium detectum solum ostenditur. Conspiciuntur & vrbes non paucę, quarum prima antiquitate nobilissima (in cuius dięcesi locus iste manet) Beneuentũ: item Velinum, seu si mauis Abellenum: his adde Tripallum, Montem fuscum, &

alia

alia complura nobiliſſima oppida:quorum proximius pulcherrimũ Sanćti Angeli caſtrum totius Baronię caput, ipſiusq; Eremi ſuſtentaculum. Ex hac denique mirabili ſpecu Eremicolę noſtri ſępius ex ſtricta, anguſtaq; valle egreſſi, in ſumma tamen ſolitudine manẽtes, in magnam afflicti animi conſolationẽ longè,lateq; ſpeculantur. Reſtat hìc ad lectoris ędificationẽ addere multa, atque ſtupenda in hac Eremo ędificanda Deũ ad ſui ipſius, & intemeratę Virginis matris filij ſui honorem miracula operatũ eſſe: veluti eſt, combuſtum fuiſſe totum ornatũ ab altari maiori vſq; ad ſummũ, & ſolã Deiparæ imaginẽ cũ ſua arcula, ac ſubtili velo(quo tegebatur) intactam remanſiſſe. Item oculum cuiuſdam operarij lapillo effoſſum ab ipſa Virgine in viſione tactum, integrè reſtitutum. Et alia multa, quæ hìc referri non poſſunt. Sed nos, ſi Deus dederit, de iſtis miraculis tractatum ſeorſum aliquando, vulgari lingua, daturos pollicemur: ideoque hìc eadem conſultò præterire decreuimus. Sequenti verò anno poſt acquiſitionem

tionem pręfatę Eremi,putà LXXVIII. Gregorius Decimustertius Pōtifex Maximus, qui ſemper Coronenſibus propitius extitit; interuentione,ac fauore prędicti Illuſtriſſimi Cardinalis Carrafæ, Eccleſiam Sancti Leonardi trans Tyberim Romæ (quæ priùs Capituli ſancti Petri fuerat) ſocietati noſtræ in perpetuū aggregauit. Vbi nūnc opportuno hoſpicio fabricato, procuratores generales, qui propter religionis negocia in curia reſidere coguntur,ſatis commodè,ac religioſo more commorantur.

DE EREMO S. SALVATORIS à Proſpectu Neapoli. Cap. IX.

QVANTVM vtilitatis Chriſtianę Reipublicæ afferant pietatis exempla, ex hoc colligi fas eſt: quòd audito Neapoli proſpero ſucceſſu prædictæ Eremi Sanctę Mariæ,& Eremitarum illic degentiū pia conuerſatione,non minus pij, quàm generoſi ciues, tanti boni participes fieri cupientes: confeſtim nos vrbi propinquiores

quiores optare ceperunt. Quod vt illis facilius obtentu foret, varia quotidie loca, atq; adeò magnifica palatia offerẽtes modis omnibus nos inuitare nõ cessabant: quæ tamen quia ritui nostro minus apta censebantur, eorum pium desiderium non erat possibile adimpleri. Tandem anno MDLXXXV. Vir Illustris Ioannes Baptista Crispus obtento à Reuerẽdo Ioãne Capasancta Abbate quodam simplici sacerdotio sancti Saluatoris à Prospectu nuncupato: cuius situs ad Eremum condendam satis idoneus videbatur, nostros vocare & ad eandẽ Ecclesiam suscipiendam hortari non distulit: quibus cùm locus placuisset, facilis fuit negotij conclusio. Est autem delubrum hoc sancti Saluatoris in cacumine mõtis præalti ab ipsa vrbe quatuor millibus passuum distantis: qui à sua celsitudine nomen accipiens à Prospectu dicitur. Nec impropriè sanè, cùm inde & Tyrrhenũ mare, quod à meridie habet, cum omni litore suo ab oriente & occidente, cumq́, insulis multis: necnon à septentrione fertilis, atque iucunda Campaniæ

paniæ ager dilucidè prospiciantur. Patet etiam intuẽtibus inclyta Parthenope ex vna; ab alia verò parte Caieta vetustissima: & tandem quòquò te vertas, omnia aperta parent. Licèt autẽ mons iste altissimus existat, ita nihilominus vrbem versus celsitudinem suã in planiciẽ declinat, vt nobiliũ currus, siue quadrigæ ad eius fastigiũ facilè ascendere, indeque descendere valeant: via autem hæc suburbanis villulis hincinde decorata cernitur. Cùm itaque sancti Saluatoris agellus angustior videretur ad Eremum condendam idem Crispus sufficiẽtẽ finitimi agri, ex latissimo fundo (quem ibi possidet) partẽ ex mera liberalitate adiũxit; necnõ optimũ fabricæ proprijs pecunijs principiũ dare nõ distulit. Huic accessit & Illustrissimus vir D. Carolus Caracciolus, qui non modicã summã de proprio adiecit, & ornamenta altaris, vestesq; sacerdotales magni pretij statim ab initio, summa cũ charitate, dedisse compertũ est. Erat equidẽ Ecclesia Saluatoris paupercula nimis, eoq; nõ poterat ibi cõueniens Eremitarũ numerus

resîdere, neq; obseruantiã Eremiticam custodiri. Et ecce diuinitùs afflatus Illustrissimus D. Ioannes de Aualos excellẽtissimi Marchionis Vasti (qui totius exercitus Imperialis quondam dux strenuus fuit) filius, iam anteà Palatiũ quoddã mirabili arte fabricatũ, in Monasteriũ reducendũ nostris, cũ sufficienti patrimonio dare voluerat: quod à Patribus obtinere nequiuit. Is posteà morte propinquus prædictæ futuræ Eremo sancti Saluatoris quingentos aureos annui census in perpetuũ testamẽto reliquit: nouũ tẽplũ erigi, & sub inuocatione S. Mariæ scala cœli cõsecrari, atque in eo corpus suũ sepeliri iubens. His ergo auxilijs, & magnificis largitionibus hæc sacra Eremus initiũ sumpsit: quę indies domunculis, & alijs necessarijs ædificijs, iuxta morem Eremitarũ cõstructis mirabiliter augetur. Et quia nũc fieri incipit, plenam eius descriptionẽ dare non valemus: quæ tñ attẽta opportunitate, Neapolitanorũq; principũ, ac nobiliũ liberalitate, in maximã tùm ædificiorũ, tũ aliarũ cõmoditatum perfectionem ventura speratur.

DE

DE BEATO RODVLPHO VEronense. Cap. X.

FVit nostris tēporibus in societate ista vir quidā venerabilis, patria Veronensis, nomine Rodulphus: iusta corporis statura, vultu placido, grauiq; incessu dotatus: liberalibus disciplinis non mediocriter eruditus, cuius tamē pręcipuū studiū in sacris literis erat. In iuuentute sua inter Monachos Oliuetanos conuersatus, in virili autem ætate factus Eremita, tanta in religione ista integritate, morumq; sinceritate vixit, vt omnibus esset admiratio. Cuius cōuersatio per omnē vitā non solū sine crimine, sed etiā sine reprehensione trāsiuit: atq; in tantū solitudinē adamauit, vt per annos viginti (quo tempore ferè semper aut Prior, aut Maior fuit) ab Eremi ostio nō sit egressus. In senectute verò bis reclusionē obtinuit, quā mirabili cōstātia, ac legis ipsius custodia obseruauit. Rursus innata ei grauitas, & syncera morū integritas ī causa erat, vt ab oībus vnicè diligeretur pariter, ac timeretur:

cuius ſolius oculi intuitus durior tranſgreſſoribus reprehēſio videbatur, quàm cuiuſq; alterius Prelati grauiſſima correctio. Non erat auſterus, neq; hypocriſis vitio maculat⁹: ſed vbiq;, inq; omni ſua actione liber ac purus, ſimplex & rectus. Induebatur iuxtà Eremitici inſtituti ritū honeſtè, veſtibus ſemper mundiſſimis vtēs: nō nimia inedia delectabatur, neq; indiſcretas abſtinentias affectabat: ſed ſumma cū diſcretione quotidianū cibū, prout illi dabatur, capiēs (aliqua frequēter portiuncula relicta, ſiue ex ordinario detracta) cōtinua parſimonia gaudebat. Breui inſuper ſomno cōtentus, ac moderatas vigilias obſeruās, diuinis precibus priuatæq; orationi iugiter vacare ſolitus eſt. Ad nocturnas pariter, atq; diurnas laudes primus ſemper accedere, eaſdēq; mirabili deuotione, ac perfecta attētione perſoluere illi de more fuit. Nouerat hic vtiq; linguā frenare, labiaq; cuſtodire, ne loquerentur dolū: ſilentiū niſi coactus rūpere, neq; vaniloquiū audire niſi inuitus aſſueuerat: cui omnis laus proximi iucunda, & ècontrà omnis detractio

tractio abominabilis ſemper viſa fuit. perpetua ei Pſalmorum cũ meditatione prolatio, ita vt quoties eũ extra cellã inuenire cõtigerat, aliquẽ per ſuſſurrũ alloquẽtẽ iudicares. Fuit etenim illi in celebrationibus decus, & in cũctis religioſis actibus gratia admirãda: hic deniq; ſcriniũ quoddã virtutũ, hic regularis vitæ exẽplar, & ſolitariȩ vitȩ norma oĩbus eſſe ſolebat, fœlixq́; ille reputatus eſt, q̃ eius veſtigia ſeq̃, vel actiones imitari ſtuduit. Tãdẽ qualis illi vita, talis & exitus fuiſſe cõſtat: nẽpè quiet⁹, ſineq́; afflictiõe, imò cũ manifeſto lætitiæ ſigno ſpiritum exalauit. Quã ob rẽ ſm vitæ perfectionẽ, fœlicẽq́; finẽ affirmare nõ dubitamus, eius beatam animam è corpore ad cœlos rectà euolaſſe. Obijt verò 21. Aprilis, anno MDLXXXIIII. ætatis ſuæ 79.

Potuiſſem hìc multos nõ modò defunctos, verũ etiã adhuc inter viuos agentes meritò, optimoq́; iure laudibus extollere: ſed ſingulos ꝓprijs virtutibus efferre difficile nimis, atq; infinitũ opus aggrederer. Multi ſiquidẽ è maioribus noſtris fuere, quorũ alter ſilẽtio inuiolabili, ve-

lut Zacharias quidā Siculus: alter abstinētia; quidā oratione iugi, sicut Arsenius nuper defunctus: nō pauci patiētia, laboribusq; tolerādis multū valuerunt. Nec desunt profectò hodie, qui mirabili ciborū parsimonia, perpetua taciturnitate, cōtinuaq; oratione, non sine admiratione præcellāt. Quales sunt Antonius, & Fœlix Conuersi, qui adhuc viuētes mortui reputantur; & alij innumeri. Sed cùm superstites laudare prohibeat Ecclesiasticus; satiùs erit ab eorum encomijs, etsi iustissimis, penitùs abstinere. Postremò expediti de his, quæ ad historiæ cursum pertinēt, iam tēpus est, vt ad institutū, & vitæ Eremiticæ obseruantiam transeamus: quibus magis lectorem delectari, eiusq; animum refici speramus, quàm in his, quæ dicta hactenus fuerunt, recreari contigerit. Quantum enim anima corpori præstare cognoscitur: tantum religionis institutio, gestorum narrationi anteponenda venit.

FINIS QVARTI LIBRI.

RO-

ROMVALDINÆ, SEV EREMITICAE MONTIS CORONAE CAMALDVLENSIS ORDINIS HISTORIÆ.

Liber Quintus.

PROOEMIVM.



MNIA tempus habent, dixit Ecclesiastes, & suis spatijs transeunt vniuersa: ea nimirum est rebus omnibus innata proprietas, vt in simplicitate naturæ exortæ, paulatim crescant: ac rursus formæ cuiusq; expleta mensura, decrescere incipiant; quæ nisi reparatione quadam instaurentur, in interitum celeriter pergunt. Quæ misera conditio, nō corporeis modò, sed & his, quæ corpore carent, quævè spiritus sunt, plerumque inesse solet. Sic de limo terræ, in virum perfe-

perfectum sublimatus Adam, parua mora, gula illectus, in mortis corruit miseriam. Sic diù stare non potuit aurea illa prima hominum ætas, quæ lege naturæ dotata, vitio posteà cõsentiens, penitus corrupta, diluuij aquis submersa est. Bonum habuit initium secundùm legem Moisi Synagoga, dum in via mandatorũ stetit dilecta Deo, veruntamen in auaritiam hypocrisimque declinans, facta est abominatio. Heu me miserũ, quò abijt tàm sancta, doctrina Apostolorum fundata, perfectionis schola? quò recessit nascentis Ecclesiæ ignita charitas? Vbi nam est illa fidelium omnium, cordium animarumq; vnitas? Vbi nam apparet Martyrum fides, & inuicta constantia? Vbi Confessorum spes, seu innocentia vitę? Eodem sanè modo defecit sanctorum Patrum ardentissima deuotio, Anachoretarum austeritas, omnisque perfectionis operatio. Sic euanuit Magni Basilij regularis doctrina: sic in varia dissecta Augustini eremitica institutio cernitur. Quid moror? nisi toties reformata fuisset venerãda Benedicti ꝓgenies, nisi tot

instauratores habuerit olim Monastica institutio: regula eius sanctissima proculdubiò abolita foret. Nil ergo mirũ, si Camaldulensis religio(quæ tamẽ semper sui Romualdi vera æmulatrix fuit, atq; primæ institutionis tenacissima obseruatrix) aliquãdo suum rigidum nimis institutum, temporum,locorum, ac personarum habita ratione,aliquatenus mitigasse,moderasseve noscatur. Quin potiùs cunctis admiratio esse debet, in tot seculorum curriculis, in tàm multiplicî rerum,ac personarum varietate, Patres nostros semel arrepti propositi, pertinaces fuisse semper obseruatores. Consentaneum ergo censebitur,gestorum narratione expedita, tantorum Heroum præcelsas virtutes consimili stylo demõstrare: necnon temporis seruato ordine eorundem victitandi rationẽ,ritus,& exercitationes commemorare. Veruntamen de re temporibus nostris penitùs inusitata verba facturus, non possum non vehementer formidare: ne non parũ fidei cùm apud seculares, profanosq; homines, tùm etiam penès religiosos habitu-

ra ſit narratio noſtra. Neq; talia tentare auſus fuiſſem, niſi maiorum noſtrorũ monumenta nobis teſtimonio eſſent: nec paucos ex Patribus idoneos veritatis teſtes habuiſſem. Alioquin, quæſo, quis credat ſortem reuixiſſe Antonium: reſurrexiſſe abſtinentiæ typum humilitatisq́ue exemplar Hilarionem: denuò apparuiſſe ſilentes Macharios: aut iterum cõuerſatos in terris Ephræm, Teonem, Ammonam, atq; Serapionem cum reliqua ſanctorum Patrum cohorte? Quis, obſecro, eorum virtutes hominibus ætatis noſtræ reſtitutas eſſe affirmare non erubeſceret? Nõ etenim illis diſſimiles multum viros, nec alios, quàm qui illis fuere mores (ſi tamen nobis ex Alto tanta fuerit conceſſa facundia) oſtenſuri ſumus. At ſi quid durum nimis, aſperum, difficilevè offenderis, amice lector, benignis auribus accipias, boniq́ue conſulas oportet: quod ni fiat, pro animi ſolatio deſolationem ſpiritus reportabis.

DE

DE EREMITICO HABITV, cilicio,& tonſura. Cap. I.

VNIVERSAE igitur tractationis noſtræ ratio, atq; ſolitariæ militiæ ſubſtantia, in habitu & habitatione, in victu & exercitatione potiſſimùm conſiſtit: nam alia cuncta ab his tanquàm riuuli à fonte defluũt: eoq́; ſingula quaſi ſpecies ſub genere ſuo veniunt collocanda. Primum autem narrationis locum habitus ſibi vendicat, vt qui primus Monachum deſignare, ab alijsq́; eum hominum generibus diſtinguere ſolet. Porrò gratam fuiſſe ſemper ſolitarijs, ac pœnitentibus pauperem, aſperamq́; veſtem, Helias Thesbytes,& Ioannes Baptiſta, ſacrarum literarũ teſtimonio, nobis apertè oſtendunt: quorum alter hirſuto incultoq́, corpore,zona pellicea accinctus; alter verò pilis camelorum indutus, ac ſimili zona circa lumbos ſuos incedebat. Legimus & fuiſſe quoſdam Dei ſeruos, qui conſutis inſimul arborum folijs, ſibi operimenta conficiebant, panni delitias omninò neſcien-

nescientes. Quis ignorat Paulum Thebeum primum Eremitam veste ex palmæ folijs contexta per totam vitã fuisse vsum? Talem vtique ornatum huius militiæ miles sibi assumere debet: vt cõtinuò aduersus carnem, mundum, & diabolum in procinctu esse videatur. Sint lumbi vestri præcincti, inquit ille, non certè relaxati, nec ampla, aut delicata veste contecti. Vnde meritò Apostolus mundum indignum putat pœnitentibus illis, quos simili cultu ornatos describit: illos, inquam, qui circuierũt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, atque afflicti. Verùm vt suo ordine rem tractare videamur, de forma, & materia vestium paucis disserendũ hoc loco censeo. Quare si Cassiano, reliquisq; antiquioribus, qui hac de re scripserũt, fides aliqua adhibenda sit: manifestum est, inter Aegyptios atq; Thebaidis Patres nullam fuisse certam determinatamque vestimentorũ formam. Sed vnusquisq; ex his rebus, quæ sibi parare poterat, ea vtebatur veste, quæ corpus contegeret tantùm, ac nuditatis verecundiam, frigorisq;

gorisq́; iniuriam repelleret, nulla autem vanitatis iactantiævè seminaria enutriret. Illud, scilicet, Apostoli tenaciter obseruantes: habentes alimenta & operimenta, his contenti simus. Quod tamẽ non ita intelligendũ est, vt existimemus vnumquenq; eorum proprio sensu prorsus diuersas sibi adaptasse vestes: immò inter eos præcipua cura erat, ne amictus singularitatis nota penes quem deprehẽderetur. Attamen nulla Patrum constitutio cauebat, vt omnes vno eodéq; colore, aut vna eademq́; forma induerentur. Hinc factum est, vt alter lineis, alter laneis; hic melioribus, ille vilioribus vestibus vteretur: quin & eorum multi sago cilicino, lineovè; multi melote; non pauci caprarum pilis tegebantur: multis eorum strictus cucullus, quibusdam colobium in vsu erat: plerique mauorte (hoc est, breui palliolo) necnon rebrachiatorio vtentes. Et hæc omnia vilia, rudissimaq́; parabantur. Omnes autem, quod valdè mirabile erat, in ista varietate, & paupertati, & conformitati mirũ in modum studebant. Ac perinde beatus

Pater

Pater noster Benedictus hæc sanctorum Patrum exempla perpetuò insecutus, parum definitam in sua Regula dedit nobis indumentorum speciem: cùm plura his de rebus fecerit verba. Nam licèt cucullæ, tunicæ, scapularis, pedulum, atque caligarum expressè meminerit; tamen nihil eorum certa demõstatione descripsit. Quid quòd illicò subiunxit: vt nõ de harum rerũ colore, aut grossitudine caussarentur Monachi; sed eas tales haberent, quales in prouincia ipsa inueniri aut viliùs comparari possent. Per quæ verba Glo. in Clem. Ne in agro, de statu monach. ait: tres colores esse permissos Benedictinis; nigrum, album, & brunum. Sed de his satis: sufficit etenim nobis, quòd Benedictus non eodem colore, & vna vestis forma, aut eiusdem qualitatis indutus incessit: vt ex Dialogis Gregorij colligi fas est. Similiter Magnus Basilius cùm magnum tractatum de habitus ratione dedisset, solam honestatem atque decentiam vestium cõmendauit: nihil certum statuens. Quod item beatus Augustinus in sua Regula fecit. Me-

ritò igitur Caſſianus in ſimili materia concludit, illa à nobis tantummodò eſſe tenenda, quæ vel ſitus locorum, vel prouinciæ vſus admittit. Porrò his pijſſimis conſiderationibus motus ſanctiſſimus Pater, & Religionis huius fundator Romualdus, nec ſibi neq; diſcipulis ſuis certam ſtatuit amictus qualitatem: ſed his ſemper vſus eſt, quæ iuxta Benedicti Regulam viliùs & commodius parari videbantur. De ſuorum quoque Eremitarum indumentis, varia prout tempus, locus, & opportunitas ferebant, legimus: qui tamen nuditatis decorum, paupertatis ornamenta, atque humilitatis, ſimplicitatisq́; gemmas alacriter vſquequaq; complexi ſunt. Nec refert, quòd quidã ſine fundamento aſſerat: Romualdum poſt Angelorum viſionem nigrum habitum in album mutaſſe. Adeò ne vecors fuit, alioquin diligentiſſimus Petrus Damianus, qui in tàm prolixa hiſtoria certo amictu Romualdũ indutum dare neſciuerit? Apud quem modò abiecto cultu, modò excalciatum, modò pedibus ornatum ſanctũ Patrem legimus. Adde

quòd

quòd de eo, & diſcipulis eius in Pereo manentibus ſic loquitur auctor. Quis enim non obſtupeſceret, quis non immutationem diuinæ dexteræ prędicaret, cũ vidiſſet eos vno birro contentos, incluſos, diſcalciatos, incultos, & tanta abſtinentiæ ariditate contritos? In ſumma nulla fuit antiquitùs præfinita Romualdinis veſtium norma; neque ſpecies, vel qualitas prohibita; dummodò honeſtatis, paupertatisq́; Eremiticæ metas non excederet. Succedentibus verò temporibus, diſſecta eſt Religio Monaſtica in diuerſa, ac penè innumerabilia Religioſorum genera: quæ licèt cuncta ab ipſo Apoſtolico fonte deſcendant, & magna pars Benedicti Regulam ſequatur; attamen vel regula, vel moribus & conſtitutionibus valdè inuicem diſtare noſcuntur. Vnde proculdubiò cõſecuta eſt, atq; orta (neceſſitate cogente) hæc habitus varietas: ne promiſcui diuerſorum rituũ homines incedentes, ſemper damnabilẽ confuſionem parerent. Hinc Caſſinenſes (quo frequentius vſus eſſe Benedictus perhibetur) nigrũ: Oliuetani, & reliqui

ſimiles

ſimiles album; Dominicani vtrunque ſimul: à quibus parum diſtare videntur Cartuſiani; vtrumque retinent quoque Auguſtiniani. Naturalem commiſtæ lanę colorem ſibi ſumpſere Franciſcani: & alios alij, prout quibuſque placuit, Religionum præſidentibus: Apoſtolica, vt crediderim, auctoritate approbante. Eo quoque modo, quo ſingulis color datus, vel aſſumptus eſt proprius: eodem & veſtimentorum ſpecies, vel forma eiſdẽ attributa creditur, & cernitur. Quam ob rem Archiepiſcopus Florentinus enumeratis plurimis Benedictinorum ſcholis; quas & nos primo libro plenius recenſuimus: omnes hi, ait, ſub regula Benedicti, differunt tamen conſtitutionibus, & habitu. Hæc tandem cauſa eſt, vt tàm diſpari amictu incedãt Monachi, tamq; diſcolores nobis appareant religioſi viri. Verùm ne ex hac varietate rerũ cauſam calumniandi accipiant noſtri tẽporis calumniatores; ac religionem confuſam, atque diſſipatam exiſtiment, & prędicent: opere pretium putaui hìc carmina aliquot inſerere Cornelij Muſsij,

viri certè de militia iſta vndiquaq; benemeriti. Is ergo calumnijs iſtis occurrens, atque malignorum ora obtundens: ſic cecinit olim.

Iam qui multi hìc videntur
Monachi, vnum fatentur
Fide, mente, actibus.
Nec ab vno ſunt diſiuncti,
Sed in vnum ſunt coniuncti
Mutuis affectibus.
Neque Monachi dicuntur
Tantùm, quòd cellis abduntur,
Aut quòd ſoli victitant.
Sed quòd vno delibuti,
Et ab vno inſtituti,
Vnum bonum quæritant.
Nec idcircò diuiduntur,
Varijs quòd diſcernuntur,
Miſtisvè coloribus.
Aut quòd mœſtis hi vtuntur,
Hi lætis amiciuntur,
Alijsvè veſtibus.
Sed diſtinctis colorati,
Qui putantur ſeparati,
His, & his habitibus.
Vnum ſimul Deum volunt,

Indi-

Indiuiduique colunt
Votis vniformibus.
Sciunt enim quòd nitorem
Non curet, neque ſqualorem,
Neque formas veſtium.
Qui manſuetis delectatur,
Et in intimis moratur
Cordibus credentium.
Sic de regulis cenſendum,
Ac de multis ſentiendum,
Putà, ceremonijs.
Quæ quantumlibet deformes
Pareant, ſunt pariformes
Suis ex indicijs.

Ex quo dulciſſimo cantu perbellè nos docet religioſiſſimus Poeta, quàm conformes ſint in Deum Monachorum apparentes foris deformitates: cuius ſufficientiſſimis rationibus aliquid addere ſuperuacaneum exiſtimari poſſet. Ac perinde conſultiùs erit ad noſtrum inſtitutum reuerti. Inter has itaque colorum varietates, viſum eſt Camaldulenſibus Patribus albi candorem ſibi eligere: nimirum candida columba Eremitica vita apud candidos auctores appel-

lari ſolet. Quo ad formam autem indumentorum, memores eſſe oportet prædictorum tres, ſcilicet, eſſe Camaldulenſiũ ſpecies: quarum prima eorum, qui in ipſa Camaldulenſi Eremo Eremiticè degunt. Secunda eſt Monachorum, qui in pluribus vrbibus, plurimisvè Italiæ locis inhabitant, monaſticam vitã ducentes. Sunt etiã & Eremitæ ſocietatis ſancti Romualdi Montis Coronæ, qui in diuiſis cellulis commorantes, plures Eremos per Italiam incolunt; quarum prima, Corona Mons. Qui ergo Camalduli viuũt Eremitæ, monaſtico more amiciuntur: nec ſcio inter Eremitas præfatos, & ſuos monachos aliquam eſſe indumentorum differentiam: niſi quòd Eremitarum cuculla ſtrictior eſt, & ex ſimplici panno. Communis autem eorum habitus forma (nigro colore in album mutato) ſimilis eſt, per omnia veſtitui Caſſinenſium; excepto quòd Camaldulenſes ſcapularium (quod habitum vocant) laneo cingulo aſtringunt: Caſſinenſes verò, corij cinctorio accincti, ſcapularium ſolutum relinquunt. Eremitæ

tandem Coronenſes longè aliter induuntur: nam & in hoc Paulus noſter ſtrictiorem ſtatuit modum; qui hactenus obſeruatur, licèt paulliſper benigniùs hodie, propter multos imbecilles, qui tantam rigiditatem ſufferre nequeunt. Sed vt illius temporis & præſentis, cunctis rei ſeries patefiat, viuente Paulo qualiter in Eremo Criptarum, & reliquis Marchiæ locis induti diſcipuli eius incedebant, ex eiuſdem epiſtola quadam, ordine ſeruato, commonſtrabimus. Qui quidem de ſe ipſo ſemper modeſtiſſimè tacens, de his, qui ſecum erant, in hæc ferè verba rē deſcribit. Eorū veſtitus, inquit, pauperrimus, atq; viliſſimus, vnicuique vnica eſt tunica, vix ſub dimidiam tibiam deſcendens. Scapularium (cui cucullus perparuus, conſutusq; affigitur) ad genua vſque protractus. Tunicella, quæ ſubuculæ loco carni adhæret, ſacco perſimilis (putà pannus aſper, ex rudiſſima lana) nec multùm cilicio diſſimilis, retrò & antè ad genua pendens, quo caput tranſeat perforata; nihil additamenti ad latera habēs, quo dilatetur, ſed vtrinque conſuta cor-

pus aſtringit. Caligis non vtuntur, præter paucos infirmiores, tibialia ad genua tantũ eleuata deferentes. Sunt prætereà nonnulli, qui ligneo ſocculo, more Franciſcanorum vtantur, pede nudo. Sunt & multi, quibus nudo pede terram calcare magis placet, æſtate durãte; hyeme ſocculum aſſumentes. Materia itẽ, ſeu qualitas panni, quo operiuntur Fratres, viliſſima, minimiq́ue precij: nam tunica, & palliolum ſiue mantellum, quod loco cucullæ monachorum ſuper omnia ab humeris ad genua vſque deferunt, ex griſſo, omnium ſcilicet pannorum rudiſſimo conficiuntur. Tunicella, & habitus, ſiue ſcapulare, ex eadem quidem lana, ſed laxiori textura, nullaq́ue molendini preſſura contuſa, quæ leuidenſa dicitur, ſeu Sclauonica raſcia. In ſumma affirmat idem Pater ſe nouitium, paulò antè quàm hæc ſcripſerit, induiſſe, omnibus quibus Eremita indui ſolet: nec ampliùs quàm quatuordecim carlinos Marchianos (ſummam vnius ſcuti facientes) expendiſſe. Cingulum, inquit, quo cinguntur, vel ex tenui fune, vel ex ora ipſius

panni

panni desumitur. Omnis superfluitas in vestibus odiosa ipsis: quippè qui vnica tunica sint contenti: atq; perpauci sunt, qui duas habeant tunicellas. Tandem hæc erat temporibus illis, Paulo viuēte, indumentorum series, & obseruatio. Posteà verò maturiùs considerauerunt Patres, plenaq; experientia sunt edocti, nuditatem hanc prouinciæ regionisque intemperatam temperiem nō pati:neq; debiliora nostrorum hominū corpora rigidissimi aeris seuitiæ resistere posse: ideoq; citiùs æquo Fratres miserè mori; aut certè catarris, alijsvè perpetuis morbis repleri. Sic Deus agere consueuit, vt feruor nascentis religionis perennis non esset, sed paulatim decrescens ad vsum rationis descenderet. Ipse enim dixit: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. His igitur ita perpensis, saniori consilio statutum est, vt nihil ex qualitate, aut quantitate vestium immutato, paulò cō modiùs corpuscula tegerentur. Hodie itaque eodem grisseo palliolo, graui ac rudissimo sine aliquo ornamento, ad pe-

ctus ligneo globo coniuncto (quale olim deferebat Helias, cùm assumptus est) in omni simplicitate: licèt æstatis tempore molestissimo, libenter vtimur. Sic tunicella, scapularium quoque, cui strictissimus cucullus, siue cappucium cõsuitur, quod Paulo & suis fuit, nobis manet; in nullo immutatum, vel alteratum. Tunica insuper, quæ totum corpus tegit, ex panno sui natura vilissimo (non tamen ex grisso, vt olim) dari solet: quæ sacerdotibus ad pedes vsq; honestatis causa descendat: conuersis tamen atq; cõmissis breuiori mensura eandem porrigi, vsus habet. In reliquis ferè salua manet prima Pauli sociorumq́; eius consuetudo, excepto quòd propter munditiam duæ tunicellæ, duoq́; scapularia singulis dantur. Quod autem ad centonem, tibialia, atque pedules attinet, quæ minus necessaria sunt, libera est nobis non vtendi facultas: eoq́; non pauci ab ijs, vel aliquo eorum libenter abstinent. Adde quòd multi, ea quæ necessaria sunt: tunicã, scilicet, palliolum, habitum, & tunicellam semper viliora deferre summoperè gaudent.

dent. Veruntamen pretiosiora, aut pomposa; alterius formæ, aut qualitatis habere indumẽta prorſus interdictum eſt. Hæc eſt tandem paupertatis noſtræ in amictu inuiolabilis obſeruatio. Nõ hìc pelliculæ lenes, & calidæ; non panni ſubtiles, & pretioſi. Veros namque ſolitudinis cultores, nuditas, pauper viliſſimaq; veſtis, reſarcita millies, ac pannoſa tunica ſummoperè ornat. Inter pœnitentiæ inſtrumẽta multum ſibi vendicat cilicium, quod tamen inter veſtes cõputari certum eſt. Hanc itaque veſtem neque Aegypti, neque Thębaidis Patres olim, vt Caſſianus tradit, neque poſteà Camaldulenſes approbauerũt, eò quòd elationis non minimũ videatur habere fomentum: & ad neceſſarij operis exercitium, ad quod ſemper Eremitam impigrum, expeditumq; incedere oportet, inhabilis atque inepta eſſe dignoſcatur. Longa item experientia compertũ eſt, maceratum perpetuo ieiunio, & abſtinẽtiæ inedia corpus, cilicij grauamine ad orationem & omne opus pium, reddi inutile. Ita nihilominus rem rẽperauit

conſti-

constitutio nostra: vt qui vti eodem velit, cum Prælati licentia, possit. Tonsura pręterea monachalis ad habitum magis pertinere videtur: quia & ipsa cum habitus electione inuenta est. Vnde fit, vt Benedictus in regula de illa nullam mentionem faciat: & Maurus per capillos ex aquis Placidũ extraxit. Neq; beatus Romualdus aliquãdo rasura vsus est: cũ scriptum sit, cap. 52. suæ historiæ: quia nouaculam nunquàm in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi solebat excrementa capillorum, & barbæ forcipibus attondere. Demum & nobis, & Camaldulensibus commune est, monachalem tonsuram, & prolixam barbam deferre.

DE HABITATIONE EREMITARUM. Cap. II.

QVEMADMODVM in vestibus paupertas pijs placuit semper hominibus: sic humilis, abiectaq; habitatio nunquàm displicuit: immò multos fuisse legimus deserti

deserti habitatores, qui omni habitaculo carentes, in asperrima pęnitentia syluas peragrãtes, vitam peregerunt. Nam quod de cella Heliæ apud quendã legimus, vix scripturæ sacræ auctoritas admittit: quæ nobis eundẽ vel absconditũ, vel perfugum, vel sine certa mãsione vixisse ostendit; filij verò Prophetarum, quorum meminit scriptura, qui libenter Eliseo adhęrebant; in agris, & solitudinibus vt plurimùm habitantes, per nemora circa Iordanẽ, Hieronymo teste, sibi tabernacula faciebant. Alij erant, quos nobis plenè descripsit Apostolus, qui in cauernis, & speluncis cõmorantes coram Deo suo, mundi conseruabantur. Pręcursorem Domini Ioannem in deserto fuisse affirmat Euangelista Matthęus, nulla de habitaculo facta mẽtione; quod vtique non tacuisset, si eo vsum fuisse sciuisset. Errabant per solitudines viri illi de corporis commoditatibus nil cogitantes. In secunda Eremitarum ætate sancti illi Patres varij satis hac in re extitere: ita vt nulla certa de habitatione doctrina dari queat. Nam Paulus Thębeus

beus primus Eremita dictus in ſpelunca, quæ etiam lapide quodam claudebatur per annos ferè nonaginta, Hieronymo auctore, ſolus permanſit. Hilarion primum ſibi tugurium iunco contexerat, deinde loco mutato cellam ſibi compegit ex luto, longitudine pedum quinque, latitudine paulò ampliorem, quàm eius corpuſculum patiebatur: vt ſepulchrum potiùs, quàm domum crederes: ſuper nudam humum, vſq; ad mortem cubans. Sed ne ſingula fruſtrà percurramus, omnes illi ſãctiſſimi viri Anachoretæ (quos in vitis Patrum, vel alibi legimus) in caſis, rupibus perfoſſis, in ſpeluncis, in tugurijs, ſine parietibus confectis; ſed ex luto, ſtramentis, arundinibus, vel ſimilibus rebus conſtructis, ſiue contextis, alacres vitam ducebant. Tales equidem mihi narrat, atq; deſcribit Caſſianus Abbatis Archebij cellas, quas venientibus ad ſe facilè dabat: ita vt breuiſſimo tempore tres ipſe ſibi in loco arenoſo, omni mate ria carente, proprijs manibus, ac labore fabricauerit. Quales autem illis cellæ, talia inſtrumenta, vtenſilia vè erãt: quod

ex qualitate ædificij conijci poteſt. In ſpecu vixiſſe Benedictum, dum Eremita fuit, manifeſtum eſt. Non aliter, nec in melioribus ædificijs, quàm ſuprà retulimus, commorabantur Marinus, & Romualdus in paludibus Venetiarum: non aliter habitabat in Gallijs cum Vrſiolo, & Grandenico, vel cum alijs diſcipulis in Iſtria, Parentio, Biſurco, Sitria, & alibi. Sic equidem tàm facilè ſuas Eremos ac monaſteria condere ſolitus eſt: nimirùm Eremiticæ inſtitutionis metas trãſire nunquàm voluit ſanctiſſimus Pater. Tales proculdubiò fuere, quas Camalduli cellulas Theodaldus Epiſcopus beato viro conſtruxit: humillimas vtiq, nimis, veraque pauperum habitacula. Nihilominus tamen quæ hodie in præfata Eremo ſunt, ſuperfluitatem aliquam nõ ſapiunt; ſed potiùs religioſam, Eremiticamq; modeſtiam permaximè redolent atque oſtentant: nec certè loci aſperitas, aut aeris rigiditas minus habere permittunt. His obiter de Camaldulo dictis: pauca de noſtra ſocietate dicamus, ne præmiſſum ordinem videamur præte-

præterire. Paulus itaq; Iustinianus, per omnia beati Romualdi vestigia sequẽs, quem sciebat ambitiosas cellas abhorruisse semper, easque in Eremo Bifurci aliquando intrare noluisse: ideò auctoris sui humilitatem affectans, foramina potiùs cum suis habitare elegit. Ac proinde cùm primùm Criptas Massacij habitandas suscepit, cuncta iuxta intentionem suam instituere cepit; ab ipsa, scilicet, habitatione faciens initium. Fecit namque & sibi, & suis habitacula non in medio agri ex lateribus decoctis, aut ex lapide quadrato calce conglutinato; sed in alta montis ripa effodit foramina; paruulas, scilicet, cauernas, ac sic cuniculorum more foueas habere illi, & socijs satis fuit. Vnum certè grauius ferebant omnes, vt ipse quodam in loco refert, quod non singulis singulæ specus statim ab initio effodi poterant: vnde bini commorari coacti sunt, donec tractu temporis labore proprio, fideliumq; ope plures effectæ fuere latebræ, ita vt virorum numerum adæquarent. Sicque actum est, vt non hominum frequentia

modò,

modò, verùm & humanis quoq; carerẽt habitaculis: & ferarum more in deserto loco, inter syluarum densitates, in profunda valle, omni terreno solatio destituti; sola spiritus consolatione contenti libentissimè latitarent. Atqui durum videtur tibi quod diximus; durius certè videbitur quod sequitur: nimirùm palatijs istis similis erat instructa suppellex. Non etenim ea ornabat perpolita mensa, non elaboratum scannum, non vasorum copia, aut pulchritudo: vix siquidẽ simplex super humo tabula aderat, in qua panis frustra ponerẽtur ad manducandum: pro sedibus duri natura lapides mensæ adhærebant. De vasculorũ penuria, deq; mapparum inopia, & omnium vtensilium egestate spontè taceo: ne mihi vera dicenti mendacij nota impingatur. Porrò vix credibile est, quanta passi sunt in illis diebus Patres nostri. Lectuli verò eorũ, aut saccus paleis plenus, aut certè ianceæ, scirpeævè mattæ solo distentæ: opertorijs autem sclauonicis, quibus talia data fuerant, aut his carentes proprijs palliolis eorum loco

ala-

alacriter vtebantur. Attamen beato Paulo defuncto, oblataq; Dei beneficio meliori opportunitate; Patres discreta consideratione, quam suprà de habitu differentes retulimus, aptiora & plura loca consecuti, rem omnem in meliorē statum reduxerunt. Temperantes videlicet ad iustum sanctitatis modum rigorem illum, illis fortasse (Dei adiutorio) facilem; multis tamen intolerabilem: non enim omnia possumus omnes. Qua autem id ratione actū sit, ne omnes Eremos superflue, cumq; lectoris tædio describere cogamur: Montis Coronæ, quę Eremus inter cęteras principatum tenet, modum ac ritū plenius demonstrabimus. Nam ab ipsa reliquæ omnes religionis huius Eremi viuendi normam accipiunt: ideoq; quod de ista dictū fuerit, de reliquis quoque dictum intelligatur. Locus ergo iste solitarius valdè, ac solitarijs viris conueniens nimis: cui distinctæ inuicem domunculæ cum interpositis hortulis, magnum præbent ornamentum. Non admodum ibi magnifica ædificia reperies, sed humillima atque

abiecta: quorum vnumquodque hoſpitiolum in tres manſiunculas diuiditur, quarum prima veſtibulum eſt, ad cuius leuam camerula parua focum lectulũq; ſimul continens: ad dexteram lignile, in quo & alia neceſſaria habentur. Neque altior habitatio datur: pauimento nãq; ſine intermedio correſpondet tectum: præter quàm in cubiculo præfato, vbi lectulum manet, in quo tecto coniunctũ quaſi lacunar pertenue appoſitum, cernitur. Lectulus verò ſaccus paleis plenus, vel ſcirpea matta tabulis ſuperpoſita; ſingulis opertorium ſclauonicum datur, quo frigoris tempore dormiens cooperiri poſſit: ad caput pro ceruicali ſacculus palearum apponitur; puluinar autem, vel molle ceruical nemini conceditur, niſi infirmo. Verum tamen eſt, inter eos, quoſdam imminò non paucos eſſe, qui neutris iſtorum quieſcentes vtãtur: ſed vel ſuper nudis tabulis, vel etiam ſedentes obdormiant; ne graui ſopore ſternentes deſides efficiantur: corporis nimirùm perpetuum laborem omnimodæ quieti anteponentes. Suppellex qui-

dem breuis nobis, quæ in vasis fictilibus quatuor, mappis duabus, & linteo consistit. In cubiculo prædicto tabula quoq;, seu mensula est, super quam libri & reliqua, quæ ad studium, seu lectionem sacrorum pertinent, prout cuiusq; capacitas, vel sancta affectio exposcit, apponuntur. Præter hæc autem, quæ diximus, aliquid aliud in propria domuncula Eremitam possidere nefas, atque damnabile est; nec facilè à superioribus impetratur: nisi aut infirmitas, aut certè vrgens necessitas ad hoc ipsum concedendum seniorem compellat. Scire tandem pulchrum est, quicquid in priuata cella senioris permissu retinent Eremitæ, commune quoque omnibus esse: alter enim alteri indigenti, ac sciente superiore petenti, id ipsum communicare tenetur. Hæc siquidem inter hos Dei seruos mutua charitas præstat, vt quæ singulis priuatim concedũtur, communia omnibus videantur: neque priuata habitatio aliquo modo, quod continet, priuatum facit. Hęc de habitatione sic breuiter exarauimus; in quibus tamen plenissimè apparet

paret antiquorum ſimplicitas, & noſtrorum temporum fragilitas. Illuc ergo reſpicite Patres, illorum veſtigia ſequimini, & ſicut in reliquis agere ſtudetis, ſic & in humilitate ædificiorum agere non ceſſetis. Sufficiunt profectò tuguria noſtra, cum tenui ſuppellectili ſua, homini verè pœnitenti; immò ſuperabundant homini propediem morituro. Memẽtote maledixiſſe Bernardum cellæ centum ſolidorum; & beatum Romualdum aliquando fauſtuoſas cellas noluiſſe intrare.

DE VICTV, ET PARSIMONIA antiquorum Patrum. Cap. III.

REFICIENDI, ſeu cibi capiẽdi corporalis modum, quidam non incongruè diſcretionẽ vitæ appellant: eò quòd ſine diſcretione eſſe neutiquam debeat. Vnde auctores, qui Anachoreticam parſimoniam laudauerunt, vix eorum mentionem faciũt, qui pane, proprio ſcilicet hominũ cibo, relicto; herbis, vel leguminibus conten-

ti victitarunt. Nō ob aliud certè, quàm quòd eorum vita, etsi illis Dei beneficio sufficiens, alijs tamen imitanda proponi cum discretione non possit. Nihilominus sua laude non carent sancti Dei homines, qui olim hanc religionis præcipuam, immò necessariam partem ædificantes, neglecto pane, vixisse feruntur. Quis, quæso, indiscretum appellet Ioannem Baptistam, qui aliud præter locustas, ac mel syluestre, dū in deserto mansit, non gustauit? Quis Paulum Thębeū sanctissimum Dei seruum indiscretionis nota afficiet; qui solis palmarum fructibus vescebatur: donec Dei iussu coruus dimidium paximatiū indies afferre consueuit? Quis tandem, vt reliquos prætermittamus, Hilarionē stultum faciet; qui per multū tempus quindecim charicas tantùm in cibum diarium percepit? Inter Aegyptios, Palestinæque Patres fuerunt, qui radicibus, & qui herbis, item qui folijs arborum decoctis pascebantur; qui pauci admodum fuere. Inter eos autem, qui cibario pane, rationabili esca quodam modo vsi sunt, tanta

fuit

fuit varietas, ac cibi ſumendi diuerſitas, vt certa inde viuendi ratio dari neutiquam poſſit. Fuere ſiquidem omnes tãquam notæ abſtinentiæ viri, vt impoſſibilis nobis fiat huiuſmodi obſeruatio. Veruntamen eorum multi ex ſolis leguminibus, tùm coctis, tùm crudis, ſeu arborum fructibus victitaſſe apud idoneos auctores leguntur. Atqui ij omnes (licèt ipſis Dei gratia id facile extiterit) à diſcreta viuendi regula excluduntur. Ideò nos illos diuerſos ieiunandi modos, quos Diuus Romualdus in ſe tãtùm expertus eſt, hìc referre non curamus: cùm admirandi potiùs, quàm imitandi videantur. Quis namque ex pugillo ciceris infuſi, vel elixi, vt ille fecit, per annum viuere queat? Quis ex modicæ farinæ, & cuiuſdam herbulæ ſorbitiuncula, per integrã Quadrageſimam ſuſtẽtari valebit? Porrò hęc adimplenda nunquàm vir bonus diſcipulis propoſuit: ſed ita eos quotidie refici voluit; vt ſemper eſuries, non autem ſatietas aliquando foueretur. Dum itaque ſimul in Gallia cum Marino, Vrſiolo, & Grandenico vixit Pater,

quinque continuas ferias in hebdomada, in pane & aqua abſtineri iuſſit: Sabbato & Dominica rigore ieiunij temperatè relaxantes. At indicto poſtea per Pōtificem Sabbati ieiunio, refectionem Sabbati in quintam feriam commutauit. Non erit tamen inutile legentibus ſcire; inter Camaldulenſes, non quamcumque ciborum parſimoniam abſtinētiam nuncupari: neque vnumquodque ieiunium huius vocis ſignificatu complecti. Sed cùm in pane & aqua tantùm, addito ſale, ieiunatur; tūc abſtinentia nuncupatur; nam cùm pulmentum vnicum cum vino, ſimplex: ſi verò duo miniſtrātur, Regulare ieiunium appellamus. Itē cùm triduana & biduana, ſeu triduanas & biduanas audies: duorum vel trium dierum in pane & aqua continuatum ieiunium intellige. Idem dicas, ſi integram hebdomadam, vel hebdomadas aliquē feciſſe legas. Quas ſignificationes & apud antiquos auctores non rarò reperies. Romualdus itaque regularis vitæ maximus obſeruator carnes, dum vixit, nō manducauit, nec diſcipulos ſuos mā-

ducare permisit. Docuit insuper in hebdomada triduanas & biduanas ieiunando: quinta feria & Dominica, olera, vel quodcunque liquamen cum gratiarum actione percipere. Exceptis tamen duabus anni Quadragesimis; in quibus non solùm ipse, sed ferè omnes eius discipuli soliti erant integras in pane & aqua facere hebdomadas. Hæc sanctissima viuendi norma, non ipso viuente tantùm, verùm etiã eo defuncto per annos octoginta Camalduli ad vnguem custodita noscitur. Nam beatus Rodulphus, qui circa annum M C. Eremitis Camaldulensibus præfuit, suorum temporum obseruantiam in hæc verba commemorat: Mos est enim, inquit, in hac Eremo Camaldulensi degentibus per binas Quadragesimas, Aduentus scilicet, & ordinariam, quam maiorem vocamus, non solùm à caseo, & ouis per omne tempus omninò se abstinere; sed pisces quoque nullatenus edere, vel vinum bibere. Nisi in solennitate sancti Andreę, sancti Benedicti, sanctę MARIAE Virginis, & Dominica in Palmis, atque in cœna Domi-

ni. In his enim Quadragesimis mos est, quinque dies in pane & aqua, & sale ieiunare: Dominica, & quinta feria cui placet cum aqua pulmentum tribuere. Et sunt etiam quidam, qui tertiam Quadragesimam, id est per quadraginta ante Pentecostem dies ieiunantes, similiter obseruant. Per totum verò anni circulum, extrà binas Quadragesimas prædictas, assuetum est per vnamquãque hebdomadã quatuor diebus, secunda, quarta, & sexta ferijs cum Sabbato in pane & aqua & sale ieiunare. Attamen idem Rodulphus abstinentiæ laudator, eiusdẽ conseruator esse nesciuit: nam antequã moreretur, siue suorum Fratrum imbecillitatem considerans, siue futurorum delicatam naturam præuidens: ordinatione in scriptis redacta, in multis, discretionis titulo, præfatam ieiunandi cõsuetudinem relaxauit. Atque multa indulgendo nouam ieiunij, abstinentiæq; formam per totius anni circulum Eremitis obseruandam reliquit. Ducentesimo deinde anno, aut circiter, post Rodulphum, Gerardus tunc Eremi Prior

laxio-

laxiorem multò abſtinendi, ac ieiunandi regulam inſtituit: & inter alia, Quadrageſimales abſtinētias, ad tres ſolummodò dies in ſingulas hebdomadas reduxit. O bone Deus, quàm multi impia pietate affecti, quaſi ſubditis compatientes, crudelitatis maximæ fiunt inuentores: qui dum imbecilles fouere intendunt, robuſtos eneruant, commune facientes quod vix tribus infirmis erat indulgendum. At Paulus noſter ſemper & vbique ſui Romualdi verus æmulator exiſtens, antiquas Romualdinorum abſtinentias reſtituere viriliter tentauit: nec certè in caſſum abijt labor eius. Quandoquidem (vt ipſe ſcriptum reliquit) omnes ſocij eius tanto feruore parſimoniam & abſtinentiam adamarunt; vt ne licitos quidem cibos, putà oua, piſces, caſeum vel lactaria, etiam in ſolennitatibus voluerint guſtare. Vnde repertum eſt, in quatuor Piceni locis, quos ſæpe commemorauimus, in vnius anni curriculo centum non eſſe conſumpta oua. Quid quòd infirmi non ſolùm à carnibus, ſed etiam ab ouis omninò abſti-

abſtinere ſolebant? Maior deinde Eremitarum pars, piſces tangere, ne dicam edere, abhorrebat. Erant præterea qui in vtraque Quadrageſima dies abſtinentiæ deputatos duplicantes, integram Quadrageſimam, præter Dominicas, abſtinentes tranſirent: nec deerant multi, qui perpetuò vino renunciantes, ſola aqua illis potus dulciſſimus fiebat. Soliti inſuper erant eorum non pauci æſtatis tempore perinde atque in hyeme cõtinuò ieiunare: necnon à Kalendis Auguſti vſque ad diem Aſſumptionis, deuotionis ardore in pane & aqua abſtinere: & quidam eorum reperti ſunt, qui in Quadrageſimis ſingulas quaſque ſextas ferias penitùs ſine cibo tranſigerent. Adde, quòd cibus eorum panis biſcoctus, & multoties non biſcoctus, ſed mucitus: pulmenta eorum herbarum vel leguminum, nec quotidie decoqui ſolita, ſed vna vice ad tres aut etiam quatuor dies frequenter parabantur. Si caſeus, allia, vel cępæ, aliavè agrumina illis miniſtrabantur, pro magno reputabatur conuiuio: quod mirum videri
non

non debet, cùm toto brumali tempore glandibus ex quercu, vel ilice quotidie vesci delectarentur. Hæc est tandem palæstra sacra, quam Paulo duce, exercuere nobilissimi palæstritæ: inter quos Hieronymus Suessanus, Romualdus Fabrianensis, Zacharias Siculus, Nicolaus Triuisanus, Augustinus de Bassano, Daniel Venetus, & Iustinianus Bergomensis, omnes venerabiles Sacerdotes. Item Venantius, Hieremias, Oliuus, Innocentius, Placidusque Conuersi: & alij plures verissimi pœnitentes. Hæc autem omnia (ne fabulam putes) ex quadam ipsius Pauli Epistola carptim desumpsimus.

DE CIBORVM DELECTV, & discreta eorum distributione. Cap. IIII.

CARNES manducare Eremitis Camaldulensibus, ab ipso Religionis exordio per ipsum Romualdum fundatorem prohibitum extat: & in hunc vsque diem inuiolabiliter

ter obseruatum: sic & epulas omnes deuitant, quibus vel decoctione, vel commixtione, aut quocunque alio modo, carniũ participatio fieri comperiatur. Quæ prohibitio nec loco, nec tempore circumscribitur: sed tàm in Eremo, quã extrà vbique terrarum fuerit: atque dũ vixerit Eremita, ab esu carnium abstinere cogitur. Infirmus tamen, medico iubente, ac Prælato consentiente (in loco infirmis dedicato tantùm, non autem in propria cella) manducare carnes potest. Quæ res tantæ obseruationis habetur: vt ne in Eremi quidem hospitio, quòd aduentantibus quibuscunque hospitibus deputatum est: neque intra Eremi septa, siue clausuram, carnes peregrinis hominibus cuiuscunque gradus existant, siue conditionis edere permittatur. Quod & in operarijs, seu artificibus ibidem laborantibus, ad vnguem obseruatur. Quæcunque igitur cibaria, quæ carnis speciem, commistionemvè non habeant; nisi diei aut temporis qualitas vetet, in escam Eremitis cedunt. Præcipuè tamen in vsu sunt oua,

ca-

caſeus, & piſces: nam butyrum, & lac recens, ſiue coagulatum, licèt prohibitũ non ſit, raró nobis miniſtrantur. Inter omnes autem ciborum ſpecies, ouorum eſt frequentior vſus: rara quidem extrà Quadrageſimas piſcium miniſtratio, eò quòd pretioſior cibus reputetur, ac difficiliùs paretur: neque ſatis conueniat verè abſtinentibus. Porrò ouorum portio (quam Pitantiam vocant) extra duo oua non extenditur, quamuis magna ſit ſolennitas, nec piſcium ſex vnciarum pondus excedit. Pulmenta communiter ex leguminibus, oleribus, & ſalubriter ex acrubus hortorum herbulis, necnon ex acruminibus, ex farre, & his ſimilibus præparantur: quandoque etiam acetariũ concedi ſolet. Non eſt minima inter Ereniticas eſcas fructuum editio: ideoque tàm nucum, quàm pomorum fructuũ ex generibus cunctis nobis modeſta copia tradi ſolet: quaſi in ſupplementum deficientium epularum. Panis tandem, quo veſcimur, non exquiſitus, aut ex farinæ flore, ſed cibarius, & cõmunis. Item vinũ, quod bibimus, non optimũ, ſed me-

diocre

diocre nobis communiter dari solet. Iam ergo cognita ciborum qualitate, quemadmodum distributio fiat, doceamus, oportet. Secundùm itaque antiquissimam consuetudinem, Camaldulenses Eremitę duodecim tantùm solennissimis diebus in anni totius curriculo, in communi refectorio insimul conuenientes refectionem capere consueuerunt. Dies autem hi sunt; Natitiuitatis Domini, Epiphaniæ, sancti Benedicti, in cęna Domini, Resurrectionis, Pentecostes, sancti Romualdi, Assumptionis sanctæ MARIAE, Omnium Sanctorũ, Consecrationis Ecclesiæ, & inuocationis eiusdẽ. Reficitur insimul quoque licèt non in refectorio in diebus Dominicæ Quinquagesimæ, & sancti Martini, qui nobis pro carnis priuio reputantur. Reliquo verò anni tempore, sine exceptione aliqua vnusquisque priuatim in propria cella manducat: cui modo quo sequitur, victus indesinẽter ministrantur. Quæcũq; in esum Eremitarum distribuenda veniunt, aut in communi penu (dispensam vocant) conseruantur: aut in communi
culina

culina præparantur. Vnde miniſtri ad hoc deputati ſingulis diebus(præter panem, qui ſemel in hebdomada in ſufficienti quantitate datur, & caſei vnciæ ſex) ad ſingulas cellas deputata cuiuſq; diei cibaria deferunt: quæ in armariolo, quod iuxta cellæ oſtium cernitur, ſine ſtrepitu,ac cum ſummo ſilentio recõdunt. Hæc autem cibaria eiuſdem generis, & eiuſdem quantitatis omnibus & ſingulis, ſiue fructus, ſiue pulmenta fuerint, miniſtrantur. Idq́; & in vino, quod quotidie (diebus abſtinentiæ exceptis) datur, inconcuſsè obſeruatur. Eremita tandem poſt refectionem,vaſa quæ euacuauerit, benè mundata in eodem armario reponit: vnde manè veniens miniſter in coquinam reportet. At ſi panis fortè aliquando defecerit, appoſito eius fruſtro in eodem armario, ſtatim per miniſtrum affertur. Sic cùm deficit ſal,vel oleum,apponuntur vaſa: & denique vnumquodq; ſignum ibidem appoſitum, eiuſdem rei indigentiam ſine verbis denunciat.

IEIVNIORVM, ET ABSTInentiarum ſumma. Cap. V.

QVo ieiunij, & abſtinentiæ dilucidior tractatio dari valeat, in primis anni totius tempora ſunt diſtinguenda; vt habita cuiuſque temporis conſideratione, ieiunij declaratio fiat. Diuiditur autem apud nos annus in duas præcipuas partes: in æſtatem, ſcilicet, & regulare tempus; in quo per regulam perpetuum ieiunium indicitur. Aeſtas à die ſancto Paſchæ vſque ad Idus Septembris computatur: regulare verò ab Idibus ipſis ſeu ab Exaltatione ſanctæ Crucis vſque ad Paſcha. Rurſus regulare tempus in duo bipartita membra ſecatur: in duas, videlicet, Quadrageſimas; quarum prima à die ſancti Martini vſque ad diem Natiuitatis Domini. Secunda, à Dominica Quinquageſimæ vſque ad Paſcha Reſurrectionis: & in duo tempora regularia; quorum alterum ab Exaltatione ſanctæ Crucis vſque ad feſtum ſancti Martini: alterum à die Natiuitatis vſq; ad

ad Quinquagesimam. Aestatis ergo tẽpore ordinarium est Eremitis bis in die reficere: ad prandium manè solum pulmentum; ad cœnam verò solam pitantiam, cũ insalatitio sumentes. Excipiũtur tamen inde duo cuiusque hæbdomadis dies; feria nempè quarta, in qua (si de feria Officium dicatur) simplex ieiunium cum vnico Quadragesimalis cibi pulmento, & vino obseruatur: sed si de festo aliquo fiat, ouis cum caseo vescimur, pulmentum cum pitantia recipientes. Item feria sexta, in qua (nisi solennitas celebretur) in pane & aqua cum fructibus, acruminibusq; abstinemus. Attamen si solennitas fuerit, in præcedentem, aut subsequentem diem abstinentia transfertur. Obseruantur preterea æstatis tempore præceptiua ieiunia, & nonnulla alia ex religionis consuetudine, qualia sunt vigiliæ sancti Marci, Apostolorum Philippi & Iacobi, necnon tres Rogationum dies, & si quæ sunt alia. Deinde regularibus temporibus ab Idibus Septembris, & à Natiuitate Domini vsque ad Quadragesimas perpetuum

ieiunium eſt. Verùm feria ſecunda, quarta, & Sabbato ſimplici vtimur ieiunio: feria tertia, & quinta oua & caſeũ edentes: feria nihilominus ſexta nobis abſtinentia ſicut in æſtate celebratur, niſi interueniente ſolennitate in alium diem commutetur. In vtraque tandem Quadrageſima tribus in hebdomada diebus abſtinentia fit, in pane & aqua cum ſale, ſine alterius rei additamento: feria tertia & Sabbato ſimplex ieiunium cum vnico pulmento & vino, fructibusq́; cuſtoditur: ſola feria quinta regulari ieiunio, cum pulmento & pitantia deputata. Sed ſi in aliquo abſtinentiæ die ſolẽnitas inciderit, abſtinẽtia diſpenſatur: dũmodò ſine vna ſaltẽ die abſtinentię hebdomada nõ trãſeat. Dominica verò dies propriam obtinet legem: bis nãq; volens Eremita in ea refectionem capit. Volens, inquam, nam toto regulari tempore, ſi placuerit, cœnam non guſtabit: quod multi apud nos diligenter obſeruant. Verùm qui cœnare intendit, ex his, quæ manè percepit, quod maluerit, ſibi reſeruare eum oportet: alioquin

frustrà nouum edulium expectabit. Aestatis autem tempore diebus Dominicis nobis manè solum pulmentum, & in serò pitantia; reliquo tempore totū manè offerri solet. Tria iam nobis maximè notanda veniunt: quorum primū est illud, quod ex cibarijs, quæ hodie Eremitæ ministrantur, nihil in crastinū sibi reseruare, neque in cella pulmentū aliquod, vel aliud quod pulmenti speciem habeat, coquere, aut parare potest: immò si quid manducare, aut noluit, aut propter indispositionem non potuit, in prædicto armariolo reponat, necesse est: vt inde per ministrum deductum alijs in crastinum vel pauperibus largiatur. Sed tamen caseus, qui singulis Dominicis, temporibus licitis, ad sex vnciarū pondus vnicuique datur: necnō fructus, & acrumina, quæ sæpius sine certa die ad nutum Prælati, seu opsenatoris dari consueuerunt; benè donec consummuntur, in cella retinentur. Secundò sciendum est, Eremitam cibum capere non oportere, nisi sacra, aut saltim deuota lectione precedente: quo simul spi-

ritus cum corpore reficiatur. Quæ ſanctiſſima lex in maxima obſeruantia habetur. Tertium & illud magnæ conſiderationis ſit, quòd quoties abſtinentia celebratur, ſiue in pane & aqua tantũ fiat, ſiue cum fructibus, Eremita librum ante oculos habere, & in terra ſedendo pedibus nudis cibum capere debet. Cuius ſanctiſſimi inſtituti beatus Rodulphus auctor extitit.

DE SEQVESTRATIONE corporis, & ſancto ſilentio. Cap. VI.

OFFERT ſe tandem quarta pars tractatus huius; conuerſatio nimirùm Eremitarũ: quæ maximè in corporis ſequeſtratione, & virtutum exercitatione conſiſtit: quemadmodùm autem intra Eremi ſepta iugiter maneant Eremitæ noſtri, hinc intelligi poteſt, quòd Eremus tota illis veluti clauſtrũ eſt, cuius ſepem vel foſſas, quibus circundata exiſtit, ſine licentia Superioris impunè egredi non licet.

Intrà

Intrà clausuram hanc liberum est vnicuiq; nostrum per vias præfatas, & nemora, seu syluas deambulare; & animi piam recreationem capere. Non equidẽ semper, sed horis diebusvè statutis: multa namq; sunt temporis momenta, in quibus id fieri prohibetur. Quomodo autem in sequestratione illa Eremicolæ sancti se habeant, paucis agamus. Communis igitur Camaldulensium Eremitarum in Eremo commorantiũ conuersatio ita se habere videtur: vt nulla victus, aut vestitus sollicitudo; nulla omninò corporalium rerum sibi necessariò parandarum anxietas inesse videatur: nulla deniq; periculosæ libertatis, aut diuagationis occasio permaneat. Quo fit, vt omnibus huiuscemodi occupationibus, atq; periculis exclusis, sub obedientiæ iugo solitudinis commodis omnibus perfruatur: sicq; Eremi cultores penitùs à terrenis curis expediti, nullo negotio, mente eleuare, ac Deo coniungere possint: quod Eremiticæ conuersationis finis esse apud Cassianum describitur. Rursus cum illis innumeris incom-

modis, ac distractionibus Cœnobij careat: obedientiæ bonum, fraternæque societatis & consolationis securitatem possidet. Sic tandem mixtam viuendi rationem habet Camaldulensis institutio: vt & solitudinis, & Cœnobij simul bonis perfruatur. Quæ quidem omnia ab illis antiquioribus Aegypti atq; Thæbaidis Eremitis multùm aliena fuere. Oportebat enim illis temporibus Anachoretam cum solitudinis iucunditate obedientiæ, paupertatisq; iacturam facere, ac proprij corporis, aduentantiũq; necessitatibus quotidiani operis industria prouidere. Si verò hanc solicitudinem à se reijcere desiderans, eligebat magis obedientiæ bonum, ac paupertatis retinere; solitudinis tranquillitatem possidere non poterat. Adde, quòd beatissimus vir Romualdus huius mirabilis vitæ auctor; præter hanc, in qua & Cœnobialis, & Eremiticæ commoda inueniuntur coniuncta; aliam longè perfectiorem, ac sublimiorem viuendi normã adinuenit. Excogitauit namque sacrosanctam inclusionis, seu reclusionis

insti-

institutionem: quam multi rectè considerantes, consueuerunt postquàm in cõmuni vita aliquandiù in Eremo religiosè conuersati sunt; contemplationis, perfectiorisque quietis solatia affectantes: cum Maioris, ac Prælatorum, seniorumque consensu singuli per singulas cellas se sponte sua includere. Vbi tamẽ sub Prælati potestate, sub constitutionũ iugo, in sancta obedientia viuentes continentur; videntes, aut alloquentes neminem, præter Fratrem vnum eorum ministerio deputatum. Sic demùm in cellulis inclusi, tantò magis cum Deo in cœlestibus conuersari satagunt: quantò magis in terris ab omni humano consortio se faciunt alienos. Quo viuendi instituto contemplationi deditis, nil beatius contingere potest. Porrò reclusio ista & perpetua in hominis vitã; & ad tẽpus concedi, ac fieri consueuit. Huius sacratissimæ legis ipse Romualdus primus obseruator extitit: quam sæpe, ac præcipuè Camalduli expertus est: vnde factum est, vt ferè nunquàm defuerit in Eremo illa, qui hoc spontaneo carcere

non ſit delectatus. Nam beatus Rodulphus ſcribit, ab initio alios per vtraſq; Quadrageſimas; alios per centum continuos dies: alios per integrum anni curſum, in cellis ſe includere conſueuiſſe. Quæ ſanctiſſima conſuetudo ab illa ætate vſque in præſentem diem fœliciter perdurauit: & nunc Dei beneficio, cùm apud Camaldulenſes, tùm etiam in Mõte Corona maximè viget. Fuerunt & propè lapſis temporibus alij, inter quos maximè excelluit beatus Michael, qui pluſquàm annos quindecim incluſus manens magna perfectionis ſigna dedit: necnon illam precum normam, quam Domini Coronam vocant, quamque Sedes Apoſtolica tot indulgentijs decorauit, adinuenit. Similiter ex quo Eremus Montis Coronæ condita fuit, nunquàm ferè defuit, qui recluſionis legem obſeruaret: quorum primus magnus Iuſtinianus Bergomenſis: & pòſt eum alij non pauci: nouiſſimè illud Eremiticę vitæ vnicũ exemplar, venerabilis Rodulphus Veronẽſis, qui per annos aliquot incluſus ſumma cũ omniũ ædificatione

tione permansit. Nemo tamen existimare debet huiusmodi inclusos in ocio esse in clausura sua: cùm onerosior multò vita eorum existat, quàm solutorum: tùm quia Psalmodiam (vltra regulare Officium) duplicant: duplicant & extrà Quadragesimas panis & aquæ abstinentias. Tenentur prætereà alia multa inclusionis lege seruare, quæ difficillima sunt: & longum esset enarrare. Iam reliqui omnes Eremitæ etsi nõ in propria cella: attamen intra septa Eremi satis inclusi perpetuò consistunt: vnde sine Prælati consensu, vt diximus, egredi non valent: in silentio, & spe patientiam suam collocantes. An non satis inclusus tibi videtur, qui perpetui silentij religione ligatus; & omni exteriori consolatione priuatus viuit? Lex autem Eremitici silentij hæc est: vt in omni loco sacro, seu publico intra Eremum, per omnes Dominicas, ac solennitates, quæ ab Ecclesia seruari solent: in quacunque feria sexta, & alia quauis die abstinentiæ dicata: per vtramq; integram Quadragesimam: item à Completorio

cuiuſque diei vſque quò Prima diei ſe-
quentis finita fuerit; necnon ſingulis ho-
ris diei ſomno & Orationi deputatis,
iugi cuſtodia obſeruetur. His, inquam,
locis, temporibus, & horis; niſi cum ſe-
nioris expreſſo conſenſu, colloquium
commiſceri, penitùs interdictum cen-
ſetur. Attamen toto æſtatis tempore
ter in hebdomada; inque regularibus
temporibus, extra Quadrageſimas, bis
tantùm ſilentium per Maiorem diſpen-
ſari ſolet. Hæc eſt tandem anguſta Ere-
mitarum via, quæ ducit ad vitam: lon-
gè ſemota ab illa latiſſima, quæ ducit
homines ad perditionem. Amant igi-
tur noſtri ſanctæ ſolitudinis toto corde
profundam tranquillitatem; in loco de-
ſerto, longè à populis, ab omni ſeculi
ſtrepitu ſemoti viuentes: omnium vi-
uentium frequentiam, atque commer-
cium (inquantùm tamen charitas pa-
titur) ſtudioſè deuitantes: ac demùm
temporalium rerum negotia, atque ad-
miniſtrationes à ſe procul arcentes.
Quam ob rem eorum vita meritò à mul
tis Angelica in terris reputata eſt: quæ
tota

tota in solius Dei fruitione versatur: quapropter cunctis Mundi delitijs, cui vis hominum statui, ritè, ac iustè solitudo præfertur. Hanc profectò beatitudinem cognouit qui eius amore captus, lyrico carmine iubilando canebat.

O beata solitudo,
O sola beatitudo
Pijs secessicolis.
Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porrò à Mundicolis.
Solitudo diuinarum
Est thesaurus gratiarum
Seculo absconditus.
Solitudo optimorum,
Et donorum perfectorum
Ager est reconditus.
Domus hìc orationis,
Campus speculationis
In Dei operibus.
Hìc mons contemplationis,
Hìc fons meditationis
In diuinis legibus.

Et similia multa.

DE

DE COMMVNI, ET PRIuata Psalmodia Eremitarum. Cap. VII.

LAVDATE Dominum, inquit Propheta, quoniam bonus est Psalmus. Et alibi: Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite. Sciebat etenim Rex sanctissimus; semper iucundam, atque decoram fuisse Deo nostro canticis ornatam laudem. Idipsum præuidens Moyses, cùm Mare rubrum cum populo suo sicco transisset pede, Pharaone cum exercitu suo submerso; gratias Domino pro accepto beneficio redditurus: Cantemus, inquit, Domino; gloriosè enim magnificatus est. Et hinc longam editam cantilenam populo canendam illicò tradidit. Non aliter fecit Virago illa Delbora, quæ deuicto Sisara in torrente Cisson; tàm magnificum Domino in gratiarũ actionem cecinit canticum. Ac proinde Dauid in singulis vitæ suæ actibus siue tribulationis, siue exultationis essent, singulos composuit Psalmos. Quorum volumen,

lumen, Psalterium dictum, Sinagogis decantandum tradidit: continens nimirùm in se & Magni Dei laudes, & orationes supplicum, peccatorum preces, deprecationes pauperum; atque acceptorum beneficiorum præclaras gratiarum actiones. Ad hos Psalmos canendos hortabatur Apostolus Ephesios suos, dicens: Loquentes vobismet ipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus; canentes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus: qua doctrina edocta Ecclesia sancta diu noctuque canendo, vota sua continuò reddit Domino tripudians. Quam ob rem antiqui religionũ fundatores semper in Psalmis meditari anxiè suis discipulis præcipere consueuerunt: eoque sancti Patres, qui olim solitariæ vitæ fundamenta posuerunt, non satis habuerunt, in communi Ecclesia certum numerum Psalmorum decantare; verùm etiam priuatim plures eorum semel in die totum Dauidicum Psalterium meditando persoluebant. Veruntamen inter eos certa ratio in

psallendo non constabat; eò quòd, Cassiano referente, diuersi diuersos sibi typos, ac regulas constituissent: alij vicenos; alij tricenos; alij plures, alij pauciores Psalmos, quibusdam Antiphonis interpositis, canentes. Per Aegyptum autem duodenario numero (quia ab Angelo illis sic traditum fuerat) vniformiter vtebantur Patres: in reliquis sine certo ordine procedentes. At beatissimus Benedictus recta consideratione edoctus, eundem numerum Psalmorum in nocturnis vigilijs assumpsit; & in reliquis ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ insecutus, tripartitum Canticum addens in diuinis horis, nil ferè ab vniuersali ordine discedens, Monasticum confecit Officium; quod suis Monachis tradidit singulis diebus persoluendum. Noster verò Romualdus his non contentus; quotidie cum Marino, & reliquis socijs totum Psalterium dicendo percurrebat; illud suis Eremitis vnoquoque die perstringendum posteà proponens. Sciendum prætereà venit, antiquiores Eremi constitutiones,

quæ multò pòst obitum Romualdi factę sunt, continere vt quilibet Eremita extra duas quadragesimas singulis diebus integrum Psalterium pro viuis dicat; & pro defunctis si non totum, dimidium, aut ad minus tertiam partem. In quadragesimis verò duo integra Psalteria in die, Eremitis dicenda erant. Nec tamen dubitare quis debet saltem eos, qui Sacerdotio fungebantur, simul cum his regulare Officium quoque dixisse: nam etsi mihi ipsi tantùm negotij admirationem adducat; verissimum tamen esse, plusquàm compertum habeo. Nostris itaque temporibus sic Patres rem temperauerunt, vt in Eremo Camalduli singulis diebus omnes, qui Clericatu ordinantur aperti Eremitę quinquaginta Psalmos persoluant: ita vt duo tantùm Psalteria in hebdomada referantur. Coronates verò, quibus multæ ac maiores (sanctæ tamen) occupationes incumbunt, semel in hebdomada Dauidica carmina meditando pronunciare consueuerunt, viginti singulis ferijs, Dominica die triginta recitantes. Diuinum

uinum tandem opus (quod Officium regulare vocant) ſine aliqua differentia, ſaltem in ſubſtantialibus Officij apud vtramque Romualdi familiam celebratur. Perpetuo namque tenore, ſeu bruma hyemalis, ſeu feruida æſtas decurrat: media nocte, vel circa, ad communem Sinaxim (Matutinum ſcilicet) ad campanæ ſignum omnes Eremitæ aſſurgunt, atque in communi Eccleſia congregantur. Quos nec tenebroſus imber, nec candidæ niuis denſitas quicquam detinet: tanti momenti apud eos habetur, diuinis intereſſe laudibus. Congregati inſimul tàm Sacerdotes, quàm Clerici; quàmque Commiſſi, & Conuerſi (quibus certus Dominicarum orationum numerus dicendus incumbit) per horas tres, & quandoque ampliùs illi canendo, iſti audiendo iugiter occupantur. Porrò ſicut idẽ eſt nobis, & Camaldulenſibus Officiũ; ita idem eſt & illud celebrandi ritus: idem in pſallendo modus; idem tonus, & modulatio. Alternantur ab vtroque Choro Pſalmorum, Hymnorumque verſiculi,

vno

vno eodemque penè diuino concentu resonantes. Emittuntur enim ab omnibus voces illæ æquales sine discrepantia, sineque cantus figura, sonores ac plenæ: non altæ, neque depressæ nimis; sed mediocritate quadam deuotæ, deuotionem mirabili modo excitantes. Tali denique modo prolatæ; vt potiùs planctum, quàm cantum audire tibi videaris. Dicuntur autem singulæ horæ canonicę suis singulis deputatis diei horis: nunquàm duæ diuersi temporis horæ continuatæ, seu coniunctæ. Quam ob rem verè dicere possunt Eremitæ; septies in die laudem dixi tibi: septies enim Chorum ad hoc ipsum (diuinis, ac nocturnis horis computatis) ingrediuntur. In quibus officijs persoluendis, communiter octo horarum spatia consumi non est ambigendum. Præter autem regulare, seu Monachale; officium Beatæ Mariæ quoque, quotidie in Choro (præter quasdam solennitates) dici indesinenter consueuit. Officium Mortuorum singulis hebdomadi-

bus, diebus tamen præordinatis, nunquàm prætermittitur. Dicitur & pro Pontifice ſemel in hebdomada Pſalmũ 19. cum certis verſiculis,& orationibus ad hoc deputatis.

DE LECTIONE, ET ORAtione priuata. Cap. VIII.

CVm ex ſacrorum, aliorumvè piorum librorum lectione facilè animus ad meditandũ accendi ſoleat; quaſi præparatam habens ad opus materiam: ideò rectè vtriuſque congregationis conſtitutione cauetur, nullam Eremitæ ſine lectione præteriri diem; quod in feruenti obſeruatione habetur. Ideóque diligenti cura Maiorũ ſanctiſſimè prouiſum eſt, vt non ſolùm Bibliorum volumina pararentur multa, ſed etiam quorumcũq; piorum librorũ tùm vulgarium, tùm latinorum copia in Eremo adeſſet. Vnde fit, vt ſine difficultate vnuſquiſque libros, quos maximè deſiderat, iuxtà capacitatem, intel-

ligen-

ligentiamque propriam habere queat. Præcipit itaque constitutio præfata Sacerdotibus, & Clericis, & reliquis legere scientibus, vt saltem quotidie, vel modicum (vnum scilicet noui, veterisvè testamenti capitulum, vel tantundem ex aliquo deuoto libro, quales sunt sanctorum Patrum vitæ, & exempla; collationes Patrum, Benedicti regula, & similia Sanctorum opera) deuotè ac piè legant. Idque præcipuè obseruare iubentur ad mensam accedentes: quapropter vnusquisque Eremita, mensa perpriùs benedicta, antequàm cibum capiat, aliquid ex supradictis legere assolet, vt refectionem corporis refectio spiritus præcedat: dumque cibus corporalis sumitur, præcedentis lectionis meditatione anima quoque recreetur. Hinc ergo quasi armatus spiritus ad orandum faciliùs consurgit: & semper prælecta meditatur. Sed ne res confusè fieret: vel à negligentibus tàm sancta, atque fructifera operatio prætermitti possit: orandi quoque iustus mo-

dus constitutione datur. Sic ętenim ordinata est, vt tàm manè, quàm serò (horis præordinatis) solitæ campanulæ signo dato, singuli genu flexo, vel commodiori modo positi, donec secundum signum audierint, deuotè, attenteque orationi, sęu meditationi vacantes, siue in templo, siue in propria cella iugiter permanere debeant. Quæ sanè duo orationis tempora simul iuncta vnius horæ spacium occupant. Hæc autem sanctissima ordinatio etsi ęquo breuior multò videatur; attamen valdè laudanda est. Nam pigros, segnes, frigidosque, si qui sunt, vel modicum orare cogit: diligentes, atque deuotos stimulat, feruidos, accensosque viros pręparando exhilarat, redditque constantiores. Quanquàm præfinito hoc breuissimo meditandi tempore verus Eremita contentus nec sit, nec esse debeat: quod in plerisque congregationis huius compertum esse, satis lucidè scimus. Sunt etenim, qui (immò ferè omnes) consueuerunt, quicquid temporis superest

pereſt (peractis obedientiæ operibus, atque naturæ indigentijs ſatisfactis) diuinæ meditationi impendere. Scientes vtique omnia opera noſtra, etiam bona, ſine oratione parum vel nihil prodeſſe ad ſalutem; Oratio nimirùm eſt, quæ nos, & opera noſtra ſanctificat. Quid enim prodeſt ieiunare, vigilare, ſolatium hominum fugere, deſerta habitare; ſi interiora cordis noſtri à vitiorum labe, à paſſionum fecibus, à cogitationum denique immunditijs non mundentur? Ideoq́ue Paulus ad Timotheum dicebat: Exerce autem te ipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quę nunc eſt, & futurę. Attamen ſola oratio, ſiue meditatio potens, efficaxq́ue eſt ad iſtas ſpurcitias extergendas; necnon ad ſenſus mentis, cordaq́ue noſtra purificanda, atque adeò ſanctificanda. Reliqua tandem opera, etiam ſancta, pręparatoria ſunt, non autem mundatoria, aut ſanctificantia.

tia. Attendant ergo Eremitę deuoti quanti momenti ſit exercitatio iſta; cùm parum vel nihil ſit benè operari, vel etiam miracula edere foris, niſi intùs per continuam orationem, meditationem, ac contemplationem inhabitet Deus, cui ſemper mens noſtra vniri debet.

DE CORPORALI, SEV MAnuali exercitio. Cap. IX.

VIAE nihil operantium, inquit Salomon, ſtratę ſunt ſpinis; multa enim mala docuit ocioſitas. Eoque Paulus ad Theſſalonicéſes clamabat: Obſecro vos fratres, operamini manibus veſtris, ſicut pręcepimus vobis. Hanc doctrinam intelligentes olim Aegypti, Thebaidiſque Patres, nullo modo ocioſos eſſe Monachos, ac pręcipuè iuuenes ſinebant: qui non tantùm victum ſibi opere parabant, ſed etiam de laboribus ſuis peregrinos ſuperuenientes reficiebant, & ſterilia Li-

biȩ loca lustrantes habitantium penuriam subleuare soliti: vicinarum quoque vrbium pauperibus, ac carceratis alimoniam ministrabant. In tantùm denique manuum opus probauerunt Patres antiqui, vt quidam eorum victu non egens, quia de fructibus palmarum sustentabatur, à semet ipso quotidianum pensum exigens, quotannis factum opus concremaret. Ideò debitis, & ordinatis horis Monachis suis manuale opus iniunxit Benedictus. Laudat etiam Fratres labori assuetos Augustinus: magnificat hoc exercitium Bernardus: quid? nonne Hieronymus ait; Semper fac aliquid operis, vt Diabolus inueniat te occupatum? Sane in desiderijs est omnis ociosus, & multa mala in Monacho parit: vnde versiculus ille.

Quæritur Ægistus quare sit factus adulter:
In promptu causa est, desidiosus erat.

Hanc sanctissimam consuetudinem viriliter amplexus Romualdus ad finē vsq; manibus suis operatus est: quem rite

imitati sunt discipuli, & successores eius. Hanc eandem cōsuetudinem (iam olim remissam, atque neglectam) renouauit Paulus noster, & nobis in vtilissimam, atq; fructiferam hæreditatem reliquit: per quam & carò subijcitur, & cogitationes mentis stabiliuntur; & vnà cum corpore mēs ipsa exercetur. Quid enim vetat, operante manu, seu ambulante pede, mente cordeque tractare Deum? Siue enim in ocio, siue in negotio mentalis de Deo cogitatio à nobis excidere non debet. Quod plerique nostrum ita obseruare crediderim: vt sæpe quid manu tractent, vix mente percipiant. Manuale ergo, seu corporale exercitium, aut cōmuniter ab omnibus simul fieri solet: aut à singulis seorsum, priuatimque peragitur. Vnde aduertendum est, quòd commune iussu maiorum fit, eoque ad illud omnes, dato solito tintinnabuli signo, simul ad designatum locum conuenire tenentur; nisi infirmitas, aliudvè iustum impedimentum excuset. Atqui priuatam exercitationem

vnus-

vnuſquiſque prout vult, & quando vult (horis tamen ocio datis) pro libito ſibi aſſumit: quod in diuerſis artificij generibus diuiditur, vt infrà dicetur. Diebus itaque operi dicatis, ſtatutis horis, audito campanulæ ſigno; vnuſquiſque cella egreſſus, feſtinus, iubiloque animo ad locum per Priorem aſſignatum ſine mora contendit: vbi per vnius horæ ſpacium omnes ſimul iuxta cuiuſque vires, atque capacitatem, omni diſcretione adhibita, operi iniuncto incumbunt, atque inſudant. Hora autem hæc, ſi æſtas ſit, poſt Primam, re ſacra peracta: ſi verò hyems, poſt Sextam aſſumitur; ne videlicet in æſtate nimius æſtus, aut in hyeme frigidus rigor Eremitas plus æquo moleſtet. Quandoque enim in agro ligone terram ſcindendo, ſiue ſarculo fodiendo: quandoque ex lapidicina ſcalpro lapides excindendo, è rupeq́ue exciſos vecte ferreo; atque e malleo perfringendo: nonnunquàm verò ſic præparatos lapides, arenamq́ue ad locum operis ſe exercentes deportant.

tant. Inter hæc exercitia eſt panificium: ſubacta namque farina, ac per Piſtorem (qui & ipſe Eremita eſt) præparata maſſa, omnes piſtores facti, panes conficimus. In quo ſanctiſſimo exercitio, iſtud infallibiliter obſeruatur, vt per aliquem peritum, diſertumque lectorem ex aliquo ſancto, ſiue deuoto libro lectio perpetua, durante opere, alta ac dilucida voce legatur. Et ſic dum corpori cibus paratur, anima alitur. Sunt præterea & alia multa exercitationum genera, quæ ſecundùm tempus ac rerum neceſſitates occurrunt, quorum ſeriem ſigillatim enarrare prolixum, tædioſumque foret. Porrò quodcunque ſit exercitium, quod in commune fiat, cum ſummo ſilentio, ſineque ſtrepitu, aut clamore agitur; ſemperque finitur cum deuota pro defunctis fratribus, ac benefactoribus deprecatione: dicitur enim Pſalmus 129. De profundis, cum cõmemoratione: Deus veniæ largitor. Intereà vnuſquiſq; Eremita niſi ignauiſſimus ac deplorandus ſit, aliqua priuata

uata induſtria pollet; qua & cogitationes vanas expellit, & ocioſitatis vitium deuitare ſolet. Alij namque ſportulas iunco contexunt: alij cochlearia ex varijs lignis perpolita, atque artificiosè elaborata conficiunt. Sunt qui ex nodis abietum, ex ebano, & alijs lignis, ex oſſibus, ex cornu bubali, & ſimilibus materijs globulos perpolitos, ac medio perforatos dare ſedulò nitantur. Ij ſanè ſunt globuli, ex quibus filo, vel tenui neruo connexis coronæ Domini (vt vocant, & beatæ Virginis, ſeu ſi mauis Roſaria; ad Dominicas orationes, ſeu Angelicas ſalutationes inter orandum enumerandas conſtituuntur. Adſunt & alij laudabiles quidem per omnia artifices, torno (ex varijs lignis) varia, pulchra, atque vtiliſſima opera efficientes. Multi ſartorem; multi ſarcinatorem præſtant: conficientes regulares habitus, quos ex integro panno in formam reciſos vnuſquiſque ſibi datos per ſe conſuit: ita vt nunquàm ad nos laicus ſartor accedat. Quid moror? Videas alios

conte-

contexere vimine fiſcellas: alios contorto filo capiendis piſcibus retia componere: & ſic aliud alios, pro cuiuſque capacitate elaborare. Similiter non pauci meliori ſorte dotati, literis ſacris grauiter inſudant: qui enim penna, ſtilóque aliquid valet, in his exercetur: non tàm certè vt inde gloriam quærat, quàm vt ſanctiſſima occupatione ocium maledictum euadat. Qui verò hanc peritiam non habet, aut his minus delectatur; lectioni ſanctæ frequentiùs incumbens; hinc continuò ad orationem informatur: & ita corpus piè exercitatum ſpiritui obedientius redditur. Tandem nullus eſt, qui in aliquo honeſto exercitij genere nimis quàm libens non occupetur.

HOSPI-

HOSPITALITAS IN PERE-grinos, & in pauperes charitas deſcribitur. Cap. X.

HOSPITALITATIS virtus non ſolùm in Abraham, & Lot, verùm etiam in alijs multis veteris teſtamenti Patribus ſummoperè commendatur: nec minori laude in ſcriptura ſacra in pauperes largitas celebrata reperitur. Ideoque Veritas ipſa in Euangelio apud Matthęum, hoſpitales ac beneficos viros ad ſe tanquàm benedictos venire iubet, & regnum ſibi ab initio Mundi paratum tradidit poſſidendum. Quam ob rem apud ſanctos Patres olim in magno pretio vtramq; harum virtutum fuiſſe, eorum deſcriptæ vitæ nos ſatis plenè edocent. Cuius rei benè conſcius ſanctiſſimus Pater Benedictus eandem ſuis diſcipulis ſectandam, non frigidis verbis commendauit. Eam ſumma diligentia ad ſe venientibus exhibuit Romualdus: quam & ſucceſſoribus ſuis præcipuè obſeruan-

ſeruandam tradidit : adeò vt non ob alium finem hoſpitium Fontisboni ipſe ædificauerit. Quæ quidem ſanctiſſima inſtitutio ſemper tenaciter obſeruata extitit, & hodie multò magis obſeruatur. Et ne res confuſè tractetur: hoſpitalitas in primis tractanda venit: ad quam commodius exercẽdam apud nos (vti præcedenti libro retulimus) aptiſſimum iuxtà communem cuiuſque Eremi portam, nec longè ab Eccleſia, hoſpitium conſtructum cernitur. Huic diligentiſſimus, pariter ac pijs moribus imbutus Frater cum aliquo ſocio ſingulis annis præponi ſolet. Ij ergo continuò domum ipſam mundam, paratas cum omni munditia menſas, perpolita vaſa cuncta præparare tenentur: necnon lectulos (qui tamen tales ſunt, qualibꝰ nos in cellulis vtimur) quotidie primo manè ſtrare accuratè debent. Vnde tanta religione hæc ſanctiſſima hoſpitalitatis virtus obſeruatur; vt vnuſquiſque ſuperueniens hoſpes, ſeu peregrinus, nõ aliter ac ſi eadem ipſa Chriſti perſona

adeſſet,

adesset, suscipiatur. Et quod magis laudabile est, tanta in hospitibus suscipiendis, pascendis, refouendis, ac recreandis æqualitas exhibetur: vt nisi personę dignitas, aut præeminens excellentia rationabiliter hoc postulet, nulla inter diuitem, vel pauperem; inter notum, & ignotum; inter indigenas, seu alienigenas; inter denique cognatum & extraneum discretio constituatur: maiori tamen religiosis viris reuerentia exhibita. Cibos prætereà illis non alios ministramus, quàm qui nobis ex propria constitutione permittuntur. Ideoque carnes cuiusq; generis hospitibus nunquàm apponuntur: neque in feria sexta per totum anni cursum oua, vel caseus eisdem ministrari possunt: nec refert etiam si ipsi secũ hęc cibaria cõportent. Alia quoque multa circa eos obseruantur in mensa, quæ longum esset referre. Iam dormitum ituris pedes cum humilitate multa, cumque Psalmi quinquagesimi pronunciatione, calida aqua ad hoc præparata abluuntur: & alia item

chari-

charitatis officia læta fronte exhibentur. Prȩtereà tempore congruo, hoc est, oratione facta in templo, re ſacra audita, per aliquem ex Fratribus, de Superioris mandato, Eremus & quȩ in ea ſunt, prȩter ſolitariorum cellas, oſtenduntur. Tandem quicquid eis commodè poteſt, tùm corporalis, tùm ſpiritualis ſolatij, hilari corde impenditur. In ſumma ſciendum eſt, præter triduum, non licere hoſpitibus hìc moram trahere. Iam opere pretium eſt ſcire, non minus inuigilare Patres noſtros circa pauperum ſubuentionem, quàm erga aduentantium recreationem ſollicitos eſſe, demonſtrauimus: quinimmò maiori cura ac diligentia, atque vberiori ſumptu egenis ſubuenire nituntnr. Nam vltra quòd ad oſtium cuiuſque loci accedētibus mendicis copioſa ſemper eleemoſyna elargiri ſolet: etiam indigentibus ruſticorum vicinorum familijs alimenta in ſubſidium ſæpius tranſmittere non negligunt: quòd maximè, largiusq; infirmis præſtare ſtudent. Nec certè minimas

nimas quantitates dotandis pauperum puellis, ac præcipuè orphanis erogare consueuerunt. Et, vt semel dicam, plus in hospites, ac pauperes societas nostra elargiri, quàm in alendis, sustentandisvè Fratrum familijs consummare solet.

DE INFIRMIS CVRANDIS.

Cap. XI.

ECce iam Dei beneficio ad vltimũ, omniumq́; sanctissimũ institutum explicandum accedimus: pijssisimum, scilicet, erga infirmos obsequiũ, atq; in debiles pietatẽ: qua maiorem, seu officiosiorem nullibi languentibus p̃stari posse, iure nostro affirmare audemus. Vix namque dici potest, in loco deserto, arido, ac desolato, quanta solatia ad infirmos recreandos inueniantur: eorum enim necessitatibus subleuandis cura ante omnia, & super omnia, iuxta Benedicti Regulam (ac si re-

uera Christo seruiretur) adhiberi solet. Est etenim & ad refouendos ægrotos, sicuti alibi diximus, seorsum separatus, ac præparatus locus : quò vbi peruenit, seu deductus est infirmus, illicò morbi illius qualitas, grauitasque diligenter attenditur. Secundùm autem infirmitatis speciem, & cibi & medicamenta præparantur, dantur, & applicantur. Accersitur medicus, aut certè si eius præsentia necessaria non est, præmissa plena informatione consulitur: iuxta eius consilium pascitur, curaturq; ægrotus. Sed & ne doloris pressura, aut solitudinis tædio impatientiæ quid imbibat languens: in nullo, obstante regula, libet cuique Fratrum absque licentia aliqua infirmi cubiculum ingredi, cumque eo silentium frangere, & charitate dictante vel de grauibus, vel de leuibus, deque serijs rebus, vel modestè iocosis, prout conducibilius videbitur, tractare licebit. Iam si hyems sit, perpetuò in cubiculo ipso (est enim in eo appositum caminum) congruus ignis

ardet : ſi verò ferueat æſtas, irrigatur ſi hoc morbus patitur, pauimentum: redimitur pauperculum ſtratum roſis, aut iuxta tempus alijs odoriferis floſculis. Denique quicquid paupertas noſtra ſolatij habere poteſt, languidis incredibili cum charitate impertitur. Solent inſuper bis, aut ſaltem ſemel in die Maiores, ſenioresvè Patres eoſdem quaſi Chriſti perſonam repræſentantes ſumma cum benignitate viſitare: de inferioribus autem Fratribus nullum eſſe puto, qui ſemel ad minus in die ſimiles ægrotantes non inuiſet, niſi qualitas infirmitatis, vel infirmi conditio hoc vetet: hoc certè mirabile eſt, quòd à maiori ad minorem nullus ab obſequio infirmorum eximitur: ſed ſæpiſſimè certari ſolet quis prius, aut melius eiſdem ſeruire queat. Aſtant in ſumma continuò infirmis duo ad hoc Patrum decreto deputati Fratres Conuerſi: quorum vnus velut præſidens, qui ſenior, & in tali opere exercitatior ſit; alter verò quaſi eidem ſubditus, & obe-

diens ſe habet. Quibus tota iſtorum cura incumbit, quibusque tale opus commiſſum eſt; cum omnibus, quæ ad hoc ſanctiſſimum miniſterium neceſſaria ſunt. Hij profectò, quantùm ego ipſe ſemper vidi, ac coniectare valeo; vbique diligentiſſimè, atque ſolerter munus ſuum expedire conſueuerunt: adeò vt verè dici poſſit in eis negligentiæ notam non haberi, ſed econuerſo charitatis ſedulitatem apud eos ſemper vigere. Magna quidem cura ægrotanti in Eremo ſacramenta miniſtrantur: quo morti appropinquanti, lectulum Patres omnes cum Clericis ſuis, cereolum accenſum ſinguli manu tenentes, circundant: Pſalmos pœnitentiales cum litanijs ſuauiter decantantes. Ex quibus ſaltem duo deputantur, qui continuò languenti agonizanti aſſiſtant, & ad mortem cum vera reſignatione ſuſcipiendam, ac ſalutiferæ paſſionis Chriſti, Deique miſericordiæ, & ſimilium memoriam habendam, ipſum diligenter & cum charitate exhortent. Vnde

fit,

ſit, vt omnes ferè (quod ipſe ſæpiùs oculis vidi) ſine dolore, & cum magno animi feruore Deo ſuo ſpiritum reddant. Licèt autem quæ de hoſpitalitate peregrinorum, curaq́ue infirmorum dicta ſunt, de MONTE CORONA tantùm dicta videantur: nemo tamen exiſtimet, eandem virtutem apud Camaldulenſes Patres non eſſe: cùm illic ſaltem in rerum largitione, abundantior charitas eſſe credatur: ſuppetente maximè illis diuitiarum affluentia. Verùm, quia apud illos non in Eremo, ſed in Fontisboni Monaſterio iſta fiunt: nec eodem modo, quo apud nos: ideò hìc ſpecialiter de his tractare diſtulimus. Nec certe deſunt qui elegantiori ſtylo Camaldulenſium charitatem laudauerint: adeò vt nobis balbutientibus nullum reliquerint maioris encomij locum, quæ facile quærenti obuiam occurrent.

En tibi tandem amantiſſime lector, quæ de Eremitica, ac Romualdinorum, Camaldulenſiumq́ue geſtis, & inſtitu-

tis

tis breuiùs fortaſſe, quàm par erat, exarauimus. Tu ſi quid eſt, quod minus arrideat, placeatvè tibi: boni conſule. Nos intercedente Glorioſa Dei Genitrice MARIA, cum Beatiſſimis Benedicto, & Romualdo, promiſſum opus, pro noſtri ingenioli modulo, ad finem perduximus.

Ad laudem, & honorem Sanctiſſimæ Trinitatis,
Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum.
Amen.



FINIS QVINTI,
ET VLTIMI LIBRI.

Registrum.

a b, A B C D E F G H I K L

[illegible] Z.

[illegible]

In sacra Eremo S. Mariae de Ruah,
In agro Patauino. MDLXXXVII.

T. II. 23



1010236 Bibliotheca 8000 r
P.P. Camaldulensium in Bielany





T - II - 23